

Zu Königlichem
Leipzig " Bibliothek
gehörig.

Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

D. T. O. M. A.
Disputatio Prima,
DE
ÆT ERNA
DEITATE DO-
MINI NOSTRI JESU
CHRISTI,

REFUTATIONI VALENTINI
SMALCII Cœtus Racoviensis ministri Photiniani,
quam, adversus disputationem D. ALBERTI
GRAUERI p. m. de Persona Christi, conscripsit,
opposita,

& in

Inclytâ Academiâ Rostochiensî

Publicè proposita
à

VALENTINO LEGDÆO

S. THEOL. LICENT.

RESPONDENTE

GEORGIO DREBENSTADIO

Lubec.


Ad diem 7. Decembris, in Auditorio Magno.

ROSTOCHI

Typis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typ. Anno 1622.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher, but appears to include names and titles such as "D. P. O. M. A. N. A.", "Dionysio Primus", "A. T. F. R. I. A.", "D. E. I. T. A. T. I. O.", "C. H. R. I. S. T. I.", "R. A. P. T. A. T. I. O.", "V. A. L. E. R. I. O. D. E. G. R. I. O.", "G. E. O. R. G. I. O. D. E. B. E. R. G. I. A. L. I. O.", and "T. H. E. J. E. S. U. I. T. A. N. S. I. A. N. S. I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. E. S. I. N. R. O. M. A. N. I. A.". There is also a horizontal line near the bottom of the text.







Examen Refutationis,
Quam
VALENTINUS SMALCIUS,
adversus disputationem
D. ALBERTI GRAUERI p. m.
de PERSONA CHRISTI,
conscripsit.

THESIS I.



EXaminare, *αὐτὸ θεῶν*, constitui Refutationem VALENTINI SMALCII, cœtus Racoviensis ministri, Photiniani notissimi, quam, disputationi D. ALBERTI GRAUERI p. m. de Persona Christi, opponere voluit; cum nec Grauerus ipse, quando adhuc erat in vivis, propter varia & multiplicia negotia, quibus erat occupatissimus, nec quisquam alius, quod ego quidem sciam, pro ipso, hætenus adversario responderit. Requirit enim id Christi Salvatoris nostri gloria, de qua certè hic maximè agitur: quando quidem de vera & æterna ipsius deitate nunc nobis disceptatio est, quam Photiniani varijs modis oppugnant: jubet præterea etiam id erga præceptorem, optimè de me meritum, pietas. Antequam verò ad rem ipsam accedam, notari velim, quòd & Photiniani divinitatem Christi, veram & æternam esse, & Christum, verum & æternum Deum appellari posse, contendunt, ludentes interim in vocabulis. Sic enim Smalcus contra Vogelium pag. 5. scribit: *tacitè apud in-*

Disputatio
I.
Respondente
GEORGIO
ARENDES
Cygneâ
Megapol.

cautos

Status con-
troverſiæ.

1. Argumē-
tum pro æ-
ternâ Chri-
ſti deitate.

2. Exceptio
adverſa.

Confutatio

cautos nos traducta, quaſi de vera & æterna Ieſu Chriſti divinitate dabitemus, quam tamen pro tam & puppim noſtræ religionis agnoſcimus. Divinitas etiam poſſibilem in poteſtate conſiſtit, & vox Deus poſſibilem, imò proprie ob poteſtatem iſis, de quibus prædicatur, tribuitur. Cum verò ea ſit Chriſti divina poteſtas, que ad ſalutem noſtram promovendam & perſiciendam perfectiſſimè ſufficiat, eaq; in æternam duratura ſit (nemo enim Chriſto ſervatori ſucceſſurum in gubernatione populi divini eſt) verè vera & æterna eſt divinitas, a deoq; Chriſtus verus & æternus Deus appellari jure poteſt. Hæc ille. Status igitur controverſiæ inter nos & Photinianos hic eſt: Utrum Chriſtus ſit æternus Deus, ita, ut principio & fine careat, & eandem cum Deo Patre naturam divinam habeat? Hoc ipſum fateetur Smalcus ipſe, quando mox in initio ſuæ Refutationis ait: *Questionem conſtituit Grauerus talem: An Chriſtus ſit æternus Deus, per æternum intelligens eum, qui principio caret, & partem affirmantem defendendam ſuſcipit.* Ita ille.

2. Primum verò argumentum, quò Grauerus pro confirmanda noſtra ſententia uſus, eſt hoc: quòd Chriſtus in ſacra ſcriptura ejusmodi phraſi Deus dicitur, que non niſi æterno Deo in ſacris literis tribuitur, veluti Rom. 9. v. 5. *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſupra omnia Deus benedictus in ſecula Amen.* Hac autem locutione æternum Deum notari, apparet ex ſimili, quæ legitur Rom. 1. v. 25. *ελάτρωσαν τὴν κτῆτα πρὸς τὸν κτίστον θεόν, ὃς ἐστὶν ἀλόγητος, εἰς τὸς αἰῶνας, ἀμήν.*

3. Audiamus nunc, quid reſpondeat Smalcus. *Sed quam infirmus (inquit) ſit primus hic conſlictus, expendat cordatus lector.* Ex eo enim, quòd aliquid de Chriſto dicatur, quòd de æterno Deo etiam dicitur, colligit, Chriſtum eſſe æternum Deum, quò vix aliquid ineptius eſſe agnoſcet, qui iſtam argumentationem in Syllogiſmum redigere voluerit. Quis enim non videt, poſſe unum & idem de duobus diverſo reſpectu prædicari? de uno, quòd naturâ id habeat, de altero, quòd ex gratiâ. Hactenus ille.

4. Verùm Smalcus falſò Graueri mentem exponit. Ipſe enim ita ſimpliciter non colligit, quaſi propterea Chriſtus æternus Deus ſit, quia aliquid de ipſo dicatur, quòd æterno Deo etiam tribuitur; ſed hoc modo concludit: *Quicumq; in ſacra ſcriptura ejusmodi phraſi Deus dicitur, que non niſi æterno Deo in ſacris literis tribuitur, ille eſt æternus Deus; alioqui enim eadem phraſis ſimul ſoli Deo æterno tribueretur.*

retur, & non soli, quod manifestam implicat contradictionem. Atqui Christus in sacra scriptura ejusmodi phrasi Deus dicitur, quæ non nisi æterno Deo in sacris literis tribuitur, veluti Rom. 9. v. 5. Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est supra omnia Deus benedictus in secula. E. Christus est æternus Deus. Frustra itaq; adversarius objicit, posse unum & idem de duobus diverso respectu prædicari. Novimus enim hoc, quemadmodum & illud, quod aliquid, quod æterno Deo ἀπὸ αὐτοῦ in se & per se competit, ex Dei gratiâ creaturæ quoq; competat, veluti immortalitas soli æterno Deo in se & per se competit, unde 1. Timoth. 6. v. 16. solus Deus dicitur habere immortalitatem; Angelis autem ex Dei gratiâ, quia à Deo immortalitatem suam habent, & ita conditi sunt: at unum idemq; soli æterno Deo attribui posse, & usq; soli, sed & alij, qui æternus Deus non est, manifestam implicare contradictionem, nemo non animadvertit.

5. Pergit adversarius: Quis non videt, posse eum etiam Deum supra omnia & benedictum in secula appellari, qui tamen talis ab æterno non fuit. Hæc enim locutio Pauli qualitatem ejus, de quo loquitur, describit: sbefis autem de eo, quod ad quantitatem pertinet, agit. Hactenus ille.

6. At nemo etiam est, Smalci, qui dicat, Christum esse supra omnia Deum benedictum in secula ab æterno: nec de Deo Patre talis locutio in scriptura extat. Et quomodo etiam ab æterno talis esse potuit, cum præter Deum nihil prorsus ab æterno fuerit? unde nec ab ullo laudari vel benedici, nec supra omnia Deus esse potuit, æquè ut rerum omnium creator ab æterno non fuit. Ut igitur, postquam omnia à Deo creata sunt, ipse à creatione rerum omnium creator dicitur: ita quoq; supra omnia Deus benedictus in secula appellatur, eò, quod ex ipso, & per ipsam, & in ipso sint omnia, ipsius sit regnum & potentia, in omnia, quæ sunt in cælo & in terra, ipso dominium habeat in omnia, inq; manu ipsius sit vis & potentia, ipsi debeat honor & gloria in secula seculorum. Rom. 11. v. 36. 1. Paral. 29. v. 11. 12. Matth. 6. v. 13. 1. Tim. 1. v. 17. Est quidem Deus ab æterno & suâ naturâ talis, ut non possit non esse super omnia Deus benedictus in secula, quando nimirum omnia sunt creata, utpote, quæ ab ipso solo dependent & conservantur, ac sub ipsius sunt potestate, quiq; ab omnibus creaturis propterea laudandus & benedicendus à seculo usq; in seculum, juxta illud Psal. 148. v. 4, 5, 6. Laudate eum cæli cælorum, & aquæ, quæ supra cæ-

Cur Christi sit æternus Deus?

An æternus Deus rectè dicatur Deus super omnia benedictus in secula ab æterno?

Ios. laudent nomen Domini: quia ipse præcepit & creata sunt: & stare fecit ea in perpetuum & in seculum: statutum dedit & non transibit, & Daniel 2. v. 10. sit nomen Dei benedictum, quia sapientia & fortitudo ejus est: quemadmodum etiam ab æterno & in sua natura talis, ut mundi creatio non possit ipsi non competere, cum virtus sive potentia illa infinita creandi in ipso, & quidem solo sit: attamen, ut Deus creator, non nisi respectu creaturarum dicitur, ita quoq; supra omnia Deus benedictus in secula, non nisi rerum omnium creatarum respectu dici potest. Quicumq; verò talis est & dicitur, eum etiã naturã & æternum Deum esse, qui principio & fine careat, necessum est. Quis enim supra omnia Deus, Deus inquam supra omnia, nisi solus æternus Deus, creator omnium? Iehovah tu solus altissimus super omnem terram psal. 83. v. 19. ille solus potens rex regum & Dominus dominantium 1. Tim. 6. v. 15. tu es Deus solus omnium regnorum terræ, tu fecisti cælum & terram. Esai. 37. v. 16. Quis Deus benedictus in secula, nisi cœli terraq; creator, quem ita describit Apostolus Rom. 1. v. 25. & Deum Israël verum, Deum benedictum solitum fuisse appellari, illa etiam interrogatio Caiphæ declarat Marc. 13. v. 61. Tunc es Christus, filius τῷ Ὁλοῦντος, benedicti scilicet Dei? ad quam Christus affirmativè responder: ubicunq; etiam hæc phrasıs in scriptura reperitur. semper æterno Deo, qui principio & fine caret, tribuitur, ejusq; singularis nota & descriptio est. Contrarium prober Smalcius, si potest, non nudè asserat. Exemplum Christi absq; petitione principij nobis objicere non potest: siquidem hoc ipsum in quæstione est, utrum Christus tantum homo sit, & non simul quoq; naturã & æternus Deus, principio & fine carens, cum supra omnia Deus benedictus in secula, in sacris literis, dicatur.

7. Quando itaq; ex loco Pauli ad Rom. 9. v. 5. argumentum neccimus pro æterna Christi divinitate, non illud procedit à qualitate ad quantitatem, ut hic fingit adversarius. Quomodo enim qualitatem Christi describit Apostolus, quando eum vocat Deum super omnia benedictum in secula? annon potius his verbis essentiam sive naturam & potentiam Christi divinam & infinitam graphicè depingit? nõ animadvertit scilicet Smalcius, quòd Paulus Christum absolute Deum appellat supra omnia existentem, & omnia suã potentiã complectentem, ipsiq; propterea ascribit laudem honorem & gloriam in secula seculorum: dum enim & Deum benedictum in secula appel-

lat,

lat, innuit, ipsum in sua natura talem esse, qui ab omnibus creaturis religiosè colendus & celebrandus sit in secula. Is autem æternus Deus est creator omnium, ut jam vidimus ex Paulo Rom. i. v. 25. qui in seipso est & manet ἀφ'αἰῶνος, gloriosus, benedictus in secula, in quascunq; tandem formas cum idololatræ transformarentur. Deinde, quomodo ad *quantitatem* pertinet, esse Deum, Deum inquam, æternum principio & fine carentem. Hoc enim ex verbis Apostoli de Christo demonstrare nunc volumus. Sed forsan lectori fucum hic facere conatur adversarius, persuadendo ipsi, quasi nos ita argumentaremur: Christus est benedictus: ergo est æternus (quomodo de Maria virgine subsumi posset, quod & illa dicatur benedicta Luc. i. v. 28, nec tamen propterea sit æterna) minimè verò; sed ex peculiari Dei æterni, principio & fine carentis, *descriptione*, quia eam Paulus, loco citato, Christo attribuit, colligimus, eum etiam esse naturâ & æternum Deum, principio scilicet & fine carentem.

8. Quid? quod hæc phrasis sive locutio Apostoli soli æterno Deo competat, quidam ex ipsis Photinianis non obscurè farentur, dum locum Rom. 9, v. 5. de Christo intelligendum esse negant, probè animadvertentes, *neminem* dici posse *supra omnia Deum benedictum in secula*, nisi qui sit naturâ & æternus Deus, qualem ipsi Christum agnoscere nolunt.

9. Sed videamus, quid ad hanc explicationem dicat Smalcus. Quod (inquit) quidam ex nostris de Deo Patre hunc locum intelligant, etiamsi nos non planè probemus, non est tamen rejiciendum, ut aliquid absurdum, vel per se falsum; sed quia alter sensus melius, quam hic quadrare proposito videatur. Hæc ille.

10. Verùm hoc in quæstione non est, utrum per se falsum, vel absurdum sit, si quis dicat, Paulum orationem suam à Christo per exclamationem dirigere ad Deum Patrem, hoc sensu: Deus, qui est supra omnia, sit benedictus in secula! quemadmodum Ostorodus hunc locum exponit disput. germ. Tradel. oppos. p. 107. sed utrū explicatio hæc textui Paulino conveniat? omnis namq; interpretatio, quæ non convenit ipsi contextui, non interpretatio, sed potius in alienum sensum detorsio est. Cum autem, fatente ipso adversario, alter sensus, qui de Christo hunc Pauli locum explicat

Locus
Rom. 9. utrum agat
de Christo?

Confessio
propria ad-
versarij
pro nobis
milicat.

proposito magis quadrare videatur, & Socino etiam consentiente in Refutat. argument. Wieki & Bellarm: pag. 284. (ubi inquit: *Non est ulla causa, cur hæc interpretatio, vel potius lectio & interpunctio Erasmi rejici posse videatur; nisi una tantum, quam adversarij non adferunt: neque illam animadvertimus. Ea est, quod cum simplex nomen Benedictus, idem significat, quod benedictus sit, semper ferè solet anteponi ei, ad quem refertur; raro autem postponi.* Hactenus Socinus) imò ipsa textus coherencia cum prorsus urgeat (cum enim Paulus dixisset: *ex quibus est Christus secundum carnem*, continenter annectit, *ὁ ὢν Ἰησοῦς πρῶτος θεός & λογιστὸς εἰς Ἰησοῦς αἰῶνας*, ut nimirum admoneat, Christum non solum esse hominem, ut qui ortus sit ex Judæis, secundum carnem, sed etiam Deum, qui omnia sub sua potestate continet) atq; sic sensus hic, loci hujus Paulini, *verus sit & genuinus*, alter certè falsus erit & *adulterivus*. nam plus uno verum esse nequit: unum enim & verum convertuntur.

Exceptio
adversarij:

11. Quoniam igitur certum, locum Pauli ad Rom. 9. v. 5. de Christo intelligendum esse, sic nunc contra illum excipit adversarius: *Fatemur Christum esse Deum benedictum in secula: sed negamus, eum esse Deum æternum; nec enim hic exprimitur, an talis ex se, vel ab alio: nec an vox, omnia, universaliter sit accipienda (si modo de omnibus rebus, & non de personis potius sermo est. Tam enim omnes, quam omnia, vox græca verti potest) potest autem tam is Deus esse benedictus in secula, qui talis est ex Deo, vel Dei gratiâ, quam is, qui ex se ipso talis est: modus enim habendi aliquid ipsam habitationem (ut sic loquar) non adimit. Potest etiam is dici super omnia Deus benedictus in secula, cui omnia ab alio sunt subjecta. De hoc verò, ut Paulus loquitur, manifestum est, quod id ita intelligendum sit, ut excipiat is, qui omnia ei subjecit.* Hactenus ille.

Confutatio.

12. Primum noto hoc, quod ex mente Smalcij, is sit natura & æternus Deus, qui ex se Deus est supra omnia benedictus in secula. Adversarius igitur simpliciter negare non audeat, eum esse naturâ & æternum Deum, cui hæc phrasia in scriptura tribuitur. At dico, Christum ex se & suâ naturâ Deum esse supra omnia benedictum in secula, & urgeo hunc Pauli locum. Negat quidem Smalcius, illud ex hoc loco probari posse, eò quod non exprimitur, an talis sit ex se. Verum respondeo; nec exprimitur, an talis sit ab alio, ipso adver-

adversario teste; sed simpliciter & absolutè, absq; ulla exceptione vel limitatione talis dicitur. Et certè, si ita scripturæ testimonia eludere licet, ut hoc eludit *Smalcus*, pari jure quis posset contra illud Luc. i. v. 68. excipere, ac negare, Deum illum benedictum, *ideo* Deum aeternum esse, quod dicatur *Dominus & Deus Israël*, ex qua phrasitamen, Deum illum benedictum, aeternum Deum esse, probat *Smalcus* infra pag. 6. siquidem, nec ibi exprimitur, an talis sit *ex se*, vel ab *alio*.

13. Sed dicit adversarius, *neminem dici posse Dominum & Deum Israël, qui non sit ex se & suâ natura talis*. Concedo: sic quoq; nemo Deus supra omnia benedictus in secula dici potest, qui non etiam *ex se & suâ naturâ* talis est: nullus enim Deus, & quidem supra omnia benedictus in secula, datur, qui talis fit ex gratia, vel ab alio: imò Deus supra omnia non esset, si esset ab alio. Deus enim super omnia, à nullo alio dependet: nec vocabulum Deus, ita simpliciter & absolutè positum, ut hoc in loco Pauli, *ulli creature* in scriptura tribuitur; sed soli aeterno Deo, & ipsam divinam naturam seu essentiam significat. Institutum enim est nomen hoc non ad significandum solum imperium, ut volunt Photiniani, sed rem summam & præstantissimam, supra omnia existentem, & omnia complectentem suâ potentiâ: hoc intendunt significare nominantes Deum: alioquin Deus non esset aeternus, cum ab aeterno nihil fuerit, cui Deus imperare posset. Proinde nomen Dei *proprie & accurate* loquendo, *naturæ* nomen est, non verò officij. Quando autem appellatio Dei *creaturis* aut *hominibus* tribuitur, nunquam id nudè fit, aut absolutè, sed adjectâ exceptione, sive etiam explanatione, quâ indicetur, quò modo & respectu hanc nomenclaturam fortiantur. Ita Moses Deus dicitur Exod. 7. v. 1. at non absolutè, sed Deus Pharaonis. Qui verò in numero multitudinis Dij vocantur, dubitationem nullam relinquunt, quin translata sumatur vocabulum, nec ei, qui Deus absolutè & singulariter dicitur, præjudicium creare possunt.

14. Verùm, ut res fiat manifestior, quæ siverim hic ex *Smalcio*, annon Christus *illorum* quoq; *Dominus & Deus* dici queat, imò etiam debeat, *quorum Salvator* est! vix negabit. Nam *est enim* Christum *Dominus & Deus* esse, decent Photiniani, *quatenus* noster
Salva

Saluator est. Divinitas enim Christi ad salutem humani generis tantum se extendit ordinariè, ait Smalcus in Refut. duor. Smigl. libr, quos de errorib. Arr. inscripsit, pag. 263. Atq; Christus Israël Saluator est; unde etiam ab Angelo Iesus vocatur, quod esset liberaturus populum suum, nempe Israëliticum, Matth. 1. v. 25. Ergo Israël quoq; Dominus & Deus est: quemadmodum eum etiam appellat Angelus Luc. 1. v. 16. 17. quando de Johannis Baptistæ officio verba faciens, sic ait: *Et multos filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum, & ipse precedet ante illum in Spiritu & virtute Eliæ.* Jam certum est, Christum esse illum, quem præcessit, & cuius præcursor fuit Johannes Malach. 3. v. 1. Marc. 1. v. 2. docendo scilicet & præparando ipsi viam, hoc est, dando testimonium de illo, quod ipse sit Christus, ut eum fecisse narrat Evangelista Johannes cap. 1. &c. Quod autem Christus sit Dominus & Deus Israël ex se, non concedunt Photiniani, ergo talis, juxta ipsos, erit ab alio. Quomodo igitur Smalcus ex phrasi hac: *Dominus & Deus Israël,* probabit, Deum illum benedictum Luc. 1. v. 63, esse æternum Deum, cum ipsi quoq; obijci possit, æquè ut ab ipso nobis obijcitur, quod nec ibi exprimat, an talis sit ex se, & posse aliquem *Dominum & Deum Israël* appellari, qui talis sit ab alio, nempe ex Deo, vel ex Dei gratiâ? Videat quid hic respondeat Smalcus, quod non etiam faciat pro nobis.

15. Deinde non negamus, Vocem *Omnis*, non semper universaliter accipiendam esse, sed interdum ad subjectam materiam restringendam: verum, quando restringi debet, tunc vel restrictio ipsa additur, ut Matth. 23. v. 3. *Omnia, quæcunq; dixerint vobis, ut servetis, servate & facite,* & Joh. 4. v. 29. *Omnia, quæcunq; feci, dixit mihi: vel ipsa materia subjecta requirit, ut necessario restringatur, veluti 1. Cor. 6. v. 13. & 10. v. 23. Omnia mihi licent.* Hic res ipsa docet, vocem *Omnia*, restringendam esse, nempe ad res medias, de quibus Apostolus loquitur. At in hoc loco Paulino neutrum reperitur: restrictio ipsa non additur, & subjecta materia ita etiam comparata est, ut absq; ulla restrictione intelligi queat, imo debeat. Christus enim non tantum Dominus & Deus est super omnes homines, sed in universum super omnia, juxta psalm: 8. v. 7. *Dominari, fecisti eum operibus manuum tuarum: omnia posuisti sub pedibus ejus. In eo enim, quod omnia*
Deus

Deus Pater Filio subiecit, nihil dimisit non subiectum ei, ait Epist. ad Hebr. c. 2. v. 8. Unde vox græca πᾶντων, absolutè hic posita, rectius vertitur omnia quàm omnes. Et si maximè verteretur omnes, minimè tamen inde concludi posset, Christum non esse supra omnia Deum, nisi etiam ex verbis Eph. 4. v. 6. εἰς θεὸς καὶ πατὴρ πᾶντων, ὁ Ἰησοῦς πᾶντων, καὶ ἄλλο πᾶντων colligere velis, Deum Patrem non esse supra omnia Deum, quod impium. Et si Christus Deus supra omnes homines benedictus in secula, quomodo non etiam super omnes in universum creaturas? quippe constitutus ad dextram Dei in caelestibus, supra omnem principatum & potestatem & virtutem & dominationem, & omne nomen nominatum non solum in seculo hoc, sed etiam in futuro Eph. 1. v. 20. 21. & quem adorare tenentur omnes quoq; angeli psalm: 96. v. 8. Hebr: 1. v. 6. Dicet adversarius, Christo hæc data esse ut homini in tempore. Respondeo: scimus hoc, interim tamen super omnia & in universum Dominus est, quod sufficit. Et sanè, si Christus in una eademq; persona non tantum homo, sed & simul naturâ & æternus Deus esset, ut homo super omnia in tempore Dominus constitui, & ad Dei dextram exaltari non potuisset, quemadmodum mox probabitur.

16. Sed rursus objicit adversarius, Christo omnia esse subiecta, non ita prorsus uniuersè accipi posse, sed ita intelligendum, ut excipiatur is, qui omnia ei subiecit, quemadmodum loquitur Paulus 1. Cor: 15. v. 27. & quia ab alio omnia ei sunt subiecta, ideòq; illum non ex se & natura suâ, sed ex dono Dei esse supra omnia Deum benedictum in secula.

17. Respondeo: quando Christus supra omnia Deus dicitur, omnes creaturæ intelliguntur. Non igitur sequitur: Christus non est supra Patrem: Ergò non est absolutè supra omnia. Non enim efferretur Christus supra Deum, sed tantum supra omnes creaturas: alioquin nec Pater absolutè esset supra omnia, quia non est supra se ipsum, nec etiam supra Filium, quatenus ipsi æqualis est, nec supra Spiritum Sanctum naturâ & potestate. Esset autem contra naturam filij, esse supra patrem, sicut & contra naturam Dei, esse supra Deum. Quòd autem Christo homini in tempore à Deo Patre omnia sunt subiecta, inde nondum sequitur, quòd sit Deus supra omnia ab alio & ex gratia (talis enim, ut supra monuimus, non datur) sed potius contrarium, quòd scilicet ab æterno, sive ex se & suâ naturâ Deus sit: nisi enim, ut jam diximus, in una eademq;

Quid sit
supra o-
mnia Deum
esse?

B

persona

persona esset, non tantum homo, sed & natura & aeternus Deus, hæc omnia, quæ scriptura ei attribuit, dari ei non potuissent. Deus enim gloriam suam alteri non dat. Esai: 42. v. 8. & 48. v. 11. hoc est illi, qui non est Deus.

18. Dicit adversarius, Deo aeterno in tempore ab alio nihil dari potuisse, utpote, qui omnia sua naturâ & ab aeterno habeat. Respondeo: verum hoc, quod in tempore Deo, quatenus Deo, ab alio nihil dari queat: neq; etiam, quatenus Christum naturâ & aeternum Deum esse docemus, quicquam ab alio in tempore accepisse dicimus; sed quia Christus verus & naturâ homo est, omnia quæ in tempore accepit, ut homini, ipsi dari potuerunt: nec tamen (quod iterum moneo) dari potuissent, nisi humana illa Christi natura in persona aeterni & naturâ Dei subsisteret.

19. Excipit: Christum ex dono Patris omnia accepisse, cuius donatione opus haud fuisset, si ipse Christus Deus esset. Sic enim sibi ipsi omnia illa dare potuisset. Respondeo: non tantum Pater filio omnia dedit, sed ipse etiam suæ naturæ humanæ assumptæ in unitatem personæ, omnia illa divina in persona dedit & communicavit. Donatio enim hæc quia opus ad extra, omnibus personis in divinitate communis est: Sed de hæc re infra dicitur pluribus.

20. Contra locum Esai: 42. v. 8. communiter excipiunt Photiniani, sermonem apud prophetam duntaxat esse de sculptilibus & idolis, non autem de ijs, quibus cum Deo convenit, & per quos Deus sua opera efficiat (vel ut Catechismus loquitur; qui ex Deo pendeat, & ei sit subordinatus, ut Christus est) illis gloriam suam non dare, his verò dare, juxta promissionem suam Esai: 48. v. 13. Dabo in Sion salutem, & Israël gloriam meam. Contendunt autem nihil hac ratione detrahi gloriæ Dei, sed eandem potius augeri, siquidem omnia referantur ad gloriam Dei ab illis, quibus gloriam suam dat. Videatur Ostorod. part. 2. disp. germ. p. 113. Socinus in Refut. argument. Wieki & Bellarm. pag. 202. Catechism. RACOV. p. 145. Smalc. in Refut. duor. Smigl. lib. pag. 67. 68.

21. Respondeo: totus contextus adversarijs contradicit. Non enim hic agitur de quavis gloria Dei: sed de laude omnipotentiae Dei, ut apparet ex v. 3. c. 42. de laude omniscientiae v. 9. de laude aeternitatis ac infinitæ virtutis creandi, ut colligitur ex v. 12. & 13. cap. 48. Hanc laudem nulli se daturum, ait Jehova, vel, ut Photiniani expo-

in hio
o arq
m hio
7. 11

exponunt, non permittitur, ut hac laus infinitæ potentia *ali extra se* tribuatur, & quidem hanc ob causam, non quia is, cui attribuitur, subordinatus ei non est, ut Catechismus loquitur; verum quia *infinita virtus sive potentia, non potest esse subjective in instrumento finito; sed solum in summo & infinito artifice.* Quare non tantum idola & sculptilia ab hac Dei gloria exclusa sunt, sed etiam creaturæ omnes, quæ sunt extra Dei personam, ut et aliàs Deo etiam quàm proximè sint conjunctæ.

22. Quod autem verba, quæ adversarij ex 46. cap. Esaiæ obijciunt, attinet, illa nobis non adversantur: non enim dicitur, quòd Deus laudem suæ omnipotentia vellet Israëli attribuere, ita ut Israël potenter & ubiq; in medio inimicorum dominetur, quemadmodum dicitur de Christo psal: 110. v. 2. sed quòd gloriam suam & justitiam in Sion & in Israël sit manifestaturus, non tantum per liberationem ex captivitate Babylonica, sed & imprimis per prædicationem Evangelij & stupenda miracula à Christo edenda, quod ipsum verba *immediate præcedentia* indicant: *appropinquare faciam justitiam meam, non elongabit se, nec salus mea moram faciet.* Non urgebo, quòd *vox gloriæ* hic *aliter* accipiatur, quàm Esai. 42. & 48. cap. siquidem, ut non nulli docti interpretes volunt, in verbis Esaiæ 46. potissimum ipse Christus intelligitur, quem Simeon in suo cantico vocat gloriam Israëlis, proculdubio ad hunc locum respiciens Luc: 2. v. 22. Ac licet illi, per quos Deus operatur, omnia dirigant ad laudem Dei, tamen hinc non conficitur, quòd illis laus omnipotentia Dei ullo modo attribui possit, nisi illis eadem operâ laudem æternitatis ascribere velis, quòd absurdum. Cum itaq; potestas illa in cælo & in terra, quæ non potest non esse increata & infinita, fatente ipso Smalcio in Refut. duor simpl. libr. pag. 75. maximè ad Dei gloriam pertinet, manet adhuc firmum, quòd humana Christi naturæ in tempore illa nullo modo dari potuisset, nisi Christus in una persona esset simul naturâ & æternus Deus. Notari autem hic velim, quòd quando nos humana Christi naturæ infinitam potentiam in tempore collatam esse docemus, id non ita accipiendum, quasi humana natura assumpta *subjective vel in se* habeat ipsam infinitam potentiam (impossibile enim est, ut hac ratione ulli creaturæ tribuatur) sed *in persona* Filij Dei, cui unita est.

23. Porro dixerat Grauerus in disputatione sua 1. Si Photiniano contra Pauli locum Rom: 9. v. 5. excipienti, Christum esse supra omnia non suâ naturâ; sed dono Dei, respondere vellet; quod ex alijs locis probari possit, Christum suâ naturâ & non tantum Dei dono esse super omnia, & idem ex alijs locis probare contenderet, mox, ex hoc Paulino dicto, deitatem Christi æternam, demonstrari non posse, eum clamare, propterea, quod ex illis dictis, in quibus Christus ex se & suâ naturâ supra omnia esse docetur, deitas Christi probaretur, non autem ex hoc. 2. Si Photiniano similiter sibi objicienti, Christum non absolutè esse supra omnia, cum non sit supra Patrem, respondere vellet, nec de Patre dici posse, quod absolutè sit supra omnia, cum non sit supra se ipsum, mox se audire cogi, quod absolutè sit supra omnia, præter se ipsum: at Filium non esse absolutè præter se ipsum supra omnia, cum non sit supra Patrem.

24. Sed hunc Graueri discursum primùm ita excipit Smalcus: Agrè scilicet ferret Grauerus, nos isto modò cum eo agere, quem nemo eruditus improbare potest, nempe frustra adduci locum, in quo id non habeatur, quod est in questione, & præstare, alium locum asserre, in quo id, quod in questione est, vel disertè habeatur, vel ex quo illud deduci possit. Hæc ille.

25. Verum graviter errat hic adversarius: siquidem Grauerus tantum indicare voluit, se hac ratione Photiniano respondere nolle; ideoq; nec adversarius, nec quisquam alius cum ipso ita agere potuit. Noverat enim Dei gratiâ optimè, etiam non monente Smalcio, præstare, id, quod in questione est, probare certis & immotis fundamentis, quàm incertis & dubijs: sed hunc Pauli locum firmissimum & manifestissimum Deitatis Christi æternæ testimonium esse, ac facili negotio contra adversariorum exceptiunculas defendi posse, nullus dubitavit.

26. Deinde ait Smalcus: Cur verò id audire non debeat Grauerus, quod est verissimum? Deum enim esse supra omnia, quæcunq; extra ipsum sunt, ipsa cogit ratio; Christum verò esse supra omnia, quæ extra ipsum sunt, excepto Patre, ipsa sunt Apostoli verba. Hæc tenus ille. At Grauerus, Smalci, nunquam recusavit audire id, quod est verissimum, neq; hic negat, Deum supra omnia esse, quæcunq; extra ipsum sunt; Christum verò supra omnia esse, excepto illo, qui omnia ei subjecit (non autem, ut Smalcus ait, quæ sunt extra ipsum, excepto Patre: siqui-

siquidem Pater non est extra Christum, sed in Christo Joh. 14. v. 10.)
Apostolum Paulum 1. Cor. 15. v. 27. docere, nec ipsi erat ignotum,
sed iterum tantum indicare voluit, quamam vestra, contra allatam
responsionem, essent exceptiones.

27. Quomodo autem ex hoc, quod Christus non sit supra
Patrem non sequatur, ipsum non esse aeternum Deum, paulo ante
vidimus, & quid praeterea vobis responderi possit, ulterius nunc
ostendit Grauerus, quando inquit: Quid itaq; dicendum? pri-
mum hoc quod adversarij sibi ipsis non constant, ac sibi invicem contradi-
cunt, ac propterea in expositione hujus loci certi non sunt. Contra-
dicunt sibi invicem, quia quidam de Patre enim accipi posse largiuntur,
quidam vero negant. Non constant sibi ipsis: cum enim de Patre acci-
piunt, veri & aeterni Dei descriptionem his verbis contineri largiunt-
tur, imo largiri nolentes volentes coguntur: cum vero de Filio ac-
cipiunt, aeterni Dei notationem esse inficiantur. At unde tanta diversitas?
ubi scripturae coartitudo? Sic ciné scriptura exponenda, ut una eademq;
phrasis Patri attributa, significet aeternum Deum; Filio autem affigna-
ta non? Cur, quæso, eadem phrasis de Patre accepta notat aeternum
Deum, de Filio autem accepta, licet pro versus non sit mutata, non deno-
tat? Hac ratione ad literam probare, quod Christus sit aeternus
Deus, difficillimum foret, si tanta scripturae ambiguitas & ejusmo-
di cothurnus admitti deberet. Haec Grauerus.

28. Quid vero ad hæc Smalcus? Frustra (inquit) hæc omnia
differit Grauerus, & valde inepte, nec enim nobis ipsis contradicimus, nec nobis
non constamus. Quæ enim in eo contradictio esse potest, si dicamus, verba
quædam de Patre intelligi posse, & deinde, concessio eo, quod de Filio intelligi
possint, negamus, ex illis id deduci, quod deducere nituntur adversarij? Hac
ratione omnes, qui in argumentis solvendis utramq; præmissarum negant, con-
tradictionis vitio laborare dici possunt, quod est absurdissimum. Quomodo
porro is sibi non constat, qui verbis, diverso respectu consideratis, diversum at-
tribuit sensum, nonne hoc ipsa permittit, imò cogit sana ratio, præsertim si id
sacra etiam scriptura comprobet, ut hic fieri videntur. Hæc enim docet, Deum
Patrem esse aeternum Deum; Christum vero Deum à Deo Patre effectam.
Hæc ille.

29. Verum rogatum velim Smalcium, ut paulo diligentius dif-
cursum Graueri expendat, & deprehendet eum non esse ineptum,

Contradi-
ctio adver-
sariorum.

ut ipse putat. Quæstio hæc est, utrum Pauli locus ad Rom: 9. v. 5. agat sensu literali & proprio de Christo, vel de Patre? Qui ex Photinianis de Patre hunc locum exponunt, illos refutat Socinus in Refutatione argumentorum Wieki & Bell. ut supra vidimus: & in defensione animad. in Assert. Theol. Coll. Posnan. pag. 404. sic ait: *Fatemur Christum esse Deum supra omnia benedictum in secula, ut alibi etiam facti sumus, samesi locus Pauli anceps est, & de Patre non minus, quam de Christo accipi potest.* Sed cur fatetur hoc Socinus, si expressè & ad literam extra *ullum dubium*, in scriptura non habetur? annon hanc ipsam doctrinam de Christo *proram & puppim* suæ religionis agnoscunt Photiniani? ita est, ut vidimus ex Smalcio, (licet idem in Refutat. duor. Smigl. libr. p. 113: & alibi sibi ipsi turpiter contradicens, asserat, illam ad salutem non esse necessariam, sed tantum utilissimam.) Quod autem ita se habet, id, juxta Photinianos, *ἰν τῷ & ad literam extare* in scriptura, *necessum est.* At si *certum* non est, nec *extra dubium*, hunc locum Pauli sensu literali & proprio (de eo enim quæstio est) de Christo esse intelligendum, unde ergo id, ex tota sacra scriptura, ad literam probabit adversarius? si verò *certum* est, quomodo Socinus illis, qui de Patre Pauli locum exponunt, non contradicit? & cur eum *anceps* esse ait, & non *minus* de Patre, quàm de Christo intelligendum esse? Itanè *ambigua* scriptura, ut *unius loci plures* possint esse *sensus veri & genuini*, ijq; *literales*, & sic plus uno verum? Impossibile. En certitudinem Socini in expositione hujus loci.

30. Sic quoq; Smalcus supra factus est, Christum supra omnia Deum esse benedictum in secula, & sensum illum, qui de Christo locum Pauli exponit, proposito melius quadrare. In Refutat. verò disput. Graueri de Spiritu sancto pag. 6. tam *certum* est, locum Pauli de Christo agere, ut ex illo demonstrare non dubitaverit, Christum *expressè* Deum appellari, quando inquit: *cum de Christo legitur, sermo erat Deus, vel is, qui ex patribus oriundus, est Deus, expressè de Christo scriptum esse confitemur, quod sit Deus.* Hactenus ille. Certè si de Christo *expressè* Rom. 9. v. 5. dicitur, quòd sit Deus, ut hic ait Smalcus; quomodo locus ille, non *minus* de Patre, quàm de Christo, explicari potest, ut vult Socinus? anne forsan & Deus Pater, non minus, quàm Christus ex patribus est *ἕξ ὧν ἔγενετο*? absurdum pronunciat etiam hoc Catech. Racov. pag. 220. Videat igitur nunc

Smal.

Smalcius,annon suis fraterculis, de Patre locum Pauli exponentibus, apertè contradicat, & sibi ipsi, si utramq; præmissarum in nostro Syllogismo negare voluerit?

31. Deinde: num is sibi satis constat, qui *usam eandemq;* phrasin de Deo Patre acceptam, concedit *notare æternum* Deum; de Filio verò acceptam, *licet proorsus non sit mutata*, non denotare? Inane autem effugium Smalcij est, quando dicit, fieri hoc diverso respectu. Implicat enim manifestam contradictionem, *phrasin* aliquam, quæ æterni Dei *notatio & propria descriptio* est, alteri, qui æternus Deus non est, absq; *ulla mutatione, seu limitatione* (quod notari velim: ubi enim nulla adhibetur in textu limitatio, ibi nec diversus respectus locum habet) attribui posse: Sic enim non *amplius* æterni Dei *notatio* sive *propria descriptio* esset. Cum igitur Christo Rom. 9. v. 5. *notatio* seu *propria Dei æterni descriptio* tribuatur, & quidem *non mutata, sed absolute & simpliciter*, ille etiam æternus Deus sit, necessum est: quemadmodum, cui *notatio* hominis tribuitur *propria*, is reverà etiam homo est.

32. Nec juvat Smalcium, quod objicit, Scripturam testari Christum à Deo Patre esse Deum effectum. Nam, ut taceam, quòd in tota sacra scriptura nullibi (Act. 2. v. 36. hæc verba non extant) hoc *expresse*, & *ad literam* legatur, (quod tamen necessum esset; si verum, quòd omnia, *quæ ad salutem necessaria sunt absolute; pntesq;* extent in scriptura, quale, juxta Photinianos, etiam hoc est, quòd scilicet Christus sit Deus à Deo Patre effectus) inde non sequitur, quòd *phrasin*, quæ æterni Dei *notatio* est, Christo attributa, non *amplius* notet æternum Deum; sed potius hoc, quòd, *præter* divinam naturam, juxta quam ipsi attribuitur *absolute & simpliciter* id, quòd *soli* Deo competit, in *una eademq;* persona, *aliam* quoq; habeat naturam, nempe humanam, juxta quam, *in tempore*, sit *constitutus Dominus supra opera manuum Dei* Psalm: 8. v. 7. Hebr. 2. v. 7. *& confederit ad dextram majestatis in excelsis, tantò præstantior Angelis factus, quanto excellentius nomen præ illis est sortitus* Hebr. 1. v. 4.

33. At inquit Smalcius: *Captiosè dicitur, hæc verba Pauli esse notationem æterni Dei. nec enim ex his verbis probari potest ulla ratione, Deum Patrem esse æternum, quia sit Deus supra omnia benedictus in secula: sed si de Patre accipiantur, conceditur ea de æterno Deo dici, quia aliunde constat, Deum*
Patrem

*Patrem esse æternum, quod si aliunde non constaret, ex his verbis colligi neces-
sario minime posset. Ita ille.*

34. Respondeo non nisi verissime dicitur, verbis Pauli *no-
tari æternum & naturã Deum, nec supra id simpliciter negare ausus
fuit Smalcus; sed adhibitã limitatione concessit, eum naturã & æter-
num Deum esse, qui nimirum ex se sit supra omnia Deus benedictus
in secula, ut thes, 12. notavimus. Cur ergo, turpiter sibi contra-
dicens, hic asserit, non posse ullã ratione ex his verbis probari eum
cui tribuuntur, esse æternum & naturã Deum? sed forsan adver-
sario contradictoris non sunt, secundum quid aliquid probari posse, &
nullã ratione. Cur etiam Smalcus suæ negationis rationem nullam
attulit? negare semper, certè non sufficit; alioquin in infinitum ne-
garem omnia, quod & Photinianis serè familiare est. Nos verò
tam diu affirmamus, notari verbis Apostoli naturã & æternum
Deum, donec ex sacra scriptura, vel sanã ratione, nobis exponant
adversarij, quomodo supra omnia Deus esse possit is, qui non sit ens
supra omnia in universum existens, omnia infinitã suã potentiã complectens, à
quo omnia dependent, conservantur & gubernantur? Perpendat Smalcus,
quid sit supra omnia Deus esse. Deinde: quomodo Deus benedictus
in secula dici queat is, qui non sit ipse celi terraq; creator, ac rerum
omnium conservator, cui etiam soli propterea debeat laus, honor &
gloria in secula seculorum, juxta illud psalm: 148. v. 45. Laudate
eum celi caelorum, & aqua, quæ supra caelos, laudent nomen Domini: quia ipse
præcepit & creata sunt, & stare fecit ea in perpetuum & in seculum: Statu-
tum dedit, & non transibit, & Daniel. 2. v. 20. sit nomen Dei benedictum à
seculo usq; in seculum, quia sapientia & fortitudo ejus est & Deut. 6. v. 13. 10.
v. 20. 21. Deum tuum timebis, & ipsam (solum, ut explicat Christus
Matth: 4. v. 10. & Luc. 4. v. 8.) coles, illiq; adhaerebis, & per nomen ejus
jurabis. Ipse est laus tua, & ipse est Deus tuus, qui fecit tecum magna & terri-
bilia ista, quæ viderunt oculi tui? Causa certè religiosi cultus, est æterna
& infinita majestas & potentia, cui illa non competit, is nec religiosè
colendus, & laudandus in omnia secula.*

Causa reli-
giosi cultus.

35. Ex his nunc, quæ hætenus dicta sunt, facile judicare licet
de verbis Smalcij subsequentibus, quando in Grauerum ita insultat:
*Ineptissimum autem est, si ita scriptura explicetur, interrogare, ubi scriptura
cercitudo? Quasi diversa scriptura intelligentia scriptura certitudini dero-
gare*

vogare possit, cum potius diversa scripturae intelligentia, scripturae ipsius certitudinem asserere videatur: quae scilicet, si de hoc, sive illo modo intelligatur, tamen nihil falsi contineat. Haec tenus ille. Verum si haec verba Apostoli: Deus super omnia benedictus in secula, hunc habent sensum, ut notent verum & aeternum Deum principio & fine carentem, uti jam satis declaravimus, alium sensum admittere nequeunt, ut scilicet ei etiam attribuantur, qui aeternus Deus non est, nisi ex parte mutentur. Sacra enim scriptura unicum habet sensum, & quidem sensum veritatis immotam, qui mutari nec debet, nec etiam potest: at si diversum admitteret sensum, jam non amplius haberet unicum sensum; ideoque etiam nec vera & certa esset: sed ambigua. Nam cum demum vera est enunciatio, cum unum dicitur, unum enim & verum convertuntur: sed unum non dicitur, quando phrasi sive sententiae uni & eidem, & quidem non mutatae, duplex affingitur significatio. Quare absurdus est Smalcus, quando asserit, diversam scripturae intelligentiam scripturae certitudini nihil derogare, sed potius certitudinem ejus asserere. Hoc quidem verum, quod scriptura in se & per se nihilominus maneat certa, etiam si ab haereticis in alienum sensum saepe torqueatur: at diversam scripturae intelligentiam, simul vere subsistere posse, ut tamen maneat scripturae certitudo, credam tunc, quando duo contradictoria erunt simul vera.

36. Sed hisce missis, revertamur ad locum Pauli Rom. 9. v. 5. Antequam vero ex illo syllogismum construeret Grauerus, monere primum voluit, vim nostri argumenti non esse nudè & crudè hanc, quod Christus sit Deus: notum enim esse, non omnem, qui quoquo modo in scripturis Deus appellatur, aeternum Deum esse: vel, quod Christus sit super omnia: constare enim & hoc, quod Christus in tempore à Deo Patre sit exaltatus longè super omnia Eph. 1. v. 21. sed totam phrasin, praecipue autem, quod dicitur Deus benedictus in secula.

37. Ad haec verò quid adversarius? In angustias (inquit) semetipsum conjicit Grauerus magnas: nam si nec ex voce Deus, nec ex verbis super omnia, argumentum deducit, jam unde illud deducat, vix habiturus est. Haec ille. Sed qui sic Smalci? Annon tota aliqua phrasi vel sententia notat aliquid, quod tamen singulae voces separatim sumpta, non denotant? Nonne tu paulò post ex phrasi hac: Dominus & Deus Israel, dicit rectè probari, illum Deum aeternum esse, cui illa in scriptura tribuitur?

Vis argumenti in quo consistat?

1. Exceptio adversi.

Confutatio

buitur? & tamen affirmare non audes, te id probare posse, vel ex voce *Deus*, vel ex voce *Dominus*: cum non omnis, qui quoquo modo *Deus*, nec omnis, qui quoquo modo *Dominus* in scriptura appellatur, sit *æternus Deus*: unde ergo illud probabis? annon ex *tota phrasi*? dicas sane oportet: alioquin nihil habebis prorsus, unde id probes. Idem ergo iudicium esto de phrasi seu sententia hac: *Deus super omnia benedictus in secula*. Nam ex *tota hac phrasi* rectè probari posse, ait Grauerus, Christum *æternum Deum* esse, præcipuè autem, quòd non tantum *Deus super omnia*, sed & *Deus benedictus in secula* dicatur. Quotiescunq; enim aliàs in sacris literis *Deus benedictus in secula* appellatur, toties *æternum Deum* intelligi. Vid. Luc. i. v. 68. 2. Cor. i. v. 3. & cap. ii. v. 31. Eph. i. v. 3. & 1. Pet. i. v. 3.

2. Exceptio.

38. At dico (ait iterum Smalcus) *falli & fallere Grauerum*, dum ait: Quotiescunq; aliàs in sacris literis *Deus benedictus in secula* appellatur, toties *æternum Deum* intelligi. Non ideo enim *æternus Deus* intelligitur, quia de eo dicitur, quòd sit *Deus benedictus*: sed quia de Deo benedicto ea dicuntur, quæ evincunt, eum esse *Deum æternum*. qualia sunt, vel *Dominus Deus Israelis*, vel *Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi*: hic enim est verè *æternus Deus*. Quòd si addita non essent, ex solis verbis *Deus benedictus in secula*, *æternus Deus* colligi nunquam posset. Hactenus ille.

Confutatio.

39. Respondeo: nec illud in quæstione est: utrum in locis allegatis ideo *æternus Deus* intelligatur, quia de ipso dicitur, quòd sit *benedictus in secula*: sed quia extra ullum dubium, quòd ibidem nullus alius intelligitur, nisi qui sit *naturà & æternus Deus*: ipse verò ita notetur, quòd nimirum sit *benedictus in secula*, nec ullus locus monstrari possit ex tota sacra scriptura, ubi hæc phrasis, alijs attribuatur, qui non sit *naturà & æternus Deus*: sic igitur nunc concludit Grauerus: Quicumq; est *Deus super omnia benedictus in secula*, is est *æternus Deus*: hæc enim est nota *æterni Dei*. Rom. i. v. 25. Atqui Christus Rom. 9. v. 5. dicitur *Deus super omnia benedictus in secula*: Ergò Christus est *æternus Deus*. Pro probatione Majoris propositionis (ait Grauerus) rursus quæro: Cur illa particula Rom. i. v. 25. *æterni Dei* sit descriptio, quando Patri tribuitur, non autem, cum de Filio Rom. 9. v. 5. usurpatur? Sicut enim ibi est descriptio creatoris, sic etiam hic Filij.

3. Exceptio.

40. Sed quid ad hunc Syllogismum respondet Smalcus? Negamus (inquit) Majorem & apertam consequentis in eo Fallaciam committi dici-

Et dicimus. Paulus enim de Deo eterno dicit, eum esse Deum benedictum in secula: at non dicit: Quicumque est Deus benedictus in secula, eum esse eternum Deum: usque non querendum erat Graeueri, quare particula illa Rom: 1. sit aeterni Dei descriptio, quando Patri tribuitur, non autem, cum de Filio Rom: 9. usurpatur: sed docendum erat, hanc phrasin non posse, nisi de Patre accipi. Haetenus adversarius.

41. Respondeo: Etiam si Paulus non dicat: *quicumque est Deus benedictus in secula*, ille est *aeternus Deus*, non tamen inde demonstrabit Smalcus, Grauerum fallaciam illam, quam ipse notavit, commisisse: *sufficit* namque hoc, quod Paulus Rom. 1. v. 3. *creatorem caeli & terra*, qui *natura & aeternus Deus est*, Deus est, his verbis describere voluit. Recte igitur dico: *is natura & aeternus Deus est quicumque Deus benedictus dicitur in secula*: Descriptio enim vera, quae est loco definitionis, cum suo descripto convertitur. Nec ullibi Apostolus ita generaliter describit aeternum Deum, imprimis, quando ipsum *peculiariter* vel *singulariter notare & commendare vult*, & a diis falsis & fictitijs, vel ab omnibus alijs creaturis distinguere, ut descriptio illa etiam competat ei qui *aeternus*. Deus non est, siue Angelus sit, siue homo: qualis n. alioquin esset descriptio? Sic in Epist. 1. Tim. 6. v. 15. 16. *describit Paulus Deum aeternum*, quod scilicet sit *beatus ille & solus potens, rex regum & Dominus Dominantium, qui solus habet immortalitatem, lucem habitans inaccessam: quem vidit nemo hominum, nec videre potest*. Etsi jam *rex Babyloniae* Dan: 2. v. 37. dicitur *rex regum*, non tamen *absolute & qui solus* talis; sed *expressa* hac *exceptione*: cui nimirum Deus de caelo *dedit regnum & potentiam*: multo minus ipsi *vera Dei descriptio* attribuitur: sicuti nec Angelis attribui potest, etiam si & illi sint immortales, vel hominibus sanctis, licet illis beatitudo quoque competat. Eadem ratio sit descriptionis Paulinae Rom: 1. v. 25. necessum est, ut creaturae competere non possit. Ibi enim Apostolus perstringens & accusans Ethnicos, quod cultum *soli* Deo creatori debitum, creaturis attribuerint, creatorem esse benedictum in secula, ait; ideoque mutasse ipsos veritatem Dei in mendacium, tribuendo gloriam incorruptibilis Dei creaturis. Hinc g. exurgit nunc propositio haec: *is qui Deus benedictus est in secula, creator omnium est*. Addo & hoc: quod supra per *Inductionem* probavit Graeuerus, hanc phrasin: *Deus benedictus in secula*, in sacris literis *soli* Deo *aeterno* attribui.

Quare etiam propterea licuit ipsi *universalem* hanc formare propositionem: *Quicumque est Deus benedictus super omnia in secula, ille est æternus Deus, ut ita non opus fuerit nova demonstratione, hanc phrasin non posse, nisi de solo Patre accipi.* Vereor autem, ne in his verbis aliquid monstraret adversarius: siquidem *non tantum* de Patre, sed & de Filio phrasin hanc in scriptura accipi, certum est: at hic quæstio est, utrum *soli Deo æterno*, qui principio & fine caret, competat? id verò nos affirmamus: nec *Filio* eam tribui posse asserimus, nisi *æternus Deus* esset, principio & fine carens. Hac enim phrasi, ut supra dictum fuit, creatorem cœli & terræ, qui extra controversiam æternus Deus est, describit Apostolus Rom: 1. v. 25. quod facere certè non posset, si illi etiam competeret, qui cœli & terræ creator non est; sed potius *alijs verbis* significantioribus usus fuisset, imò etiam debuisset. Confer. thes. 12. 13. & 14.

42. Hinc etiam nunc manifestum est, quàm ineptè respondeat Smalcus ad quæstionem Graueri, quàm pro probatione Majoris propositionis adhibuit. *Ad quæstionem* (inquit) *sic respondemus: Rom: 1. verba, qui est benedictus in secula, æternum Deum significant, quia de creatore, vel de eo, qui creavit, disertè prædicantur, Rom: autem 9. eadem verba æternum Deum non significare dicimus, quia de Christo, qui est secundum carnem ex patribus, dicta sunt.* Non enim propterea hæc phrasis *nativam* suam *significationem* amittit, quia Christo, qui ex patribus est $\kappa\tau$ *origo* tribuitur; sed potius *hoc* inde concluditur, Christum non tantum nobilissimum esse hominem ex patribus oriundum, sed & præterea æternam & naturam Deum, cœli & terræ creatorem: alioquin hæc Dei creatoris descriptio ipsi competere nullo modo posset.

Objectio ad
verbi

43. Sed objicit adversarius: *ut certum est, eum qui creavit, esse Deum æternum: sic is, qui ex Patribus oriundus est, æternus Deus esse nullo modo potest. Potest autem uterque, hoc est, tam Deus æternus, quàm Deus ex Patribus oriundus, esse benedictus in secula, alter naturam, alter Dei dono.* Ita ille.

Responsio.

44. Respondeo: *quatenus* ex patribus est Christus, *eatenus* eum *Deum æternum* nullo modo esse posse, concedimus. Potest autem esse æternus Deus, *quatenus unigenitus, proprius, & sic naturalis Dei æterni Patris Filius dicitur*, Job. 1. v. 18. & 3. v. 16. Rom. 8. v. 32. *eatenus enim, ejusdem ut sit nature & essentia cum Deo Patre, necessum est.*

Is

Is namq; *Filius proprius & naturalis* dicitur, qui *naturam* suam habet ex *gignente*: gignens enim & genitus relata sunt, & quidem relatè opposita, quæ se mutuo ponunt & tollunt. Hinc Christus *καρνατικῆ τῆς ὑποστάσεως* Dei Patris dicitur Hebr. 1. v. 3. hoc est, expressa & essentialis figura exprimens personam Patris, quò ad essentialitatem. Et testatur hoc ipso in textu Apostoli *limitatio καὶ σαρκας*, Christum *præter carnem, secundum quam* dicitur esse ex patribus; habere *aliam* quandam *naturam, juxta quam* non sit ex patribus, nempe *divinam*, quam Apostolus exprimit, dum eum appellat *Deum supra omnia benedictum* in secula. At si Christus *santum naturâ* homo esset, quid opus erat addere hanc *restrictionem* seu *limitationem καὶ σαρκας*? Etenim si quis de nudi hominis origine, puta Moses, vel alterius sermonem faciens, diceret: Moses est ex tribu Levi *καὶ σαρκας*: certè quia *præter carnem* seu humanam substantiam *nulla alia* est in Mose natura, quisq; hanc *restrictionem* seu *limitationem* pro *inani* haberet *παιδολογία*. Idcirco apposita hæc restrictio seu limitatio disertâ ratione comprobatur, duas in Christo esse naturas, humanam scilicet, secundum quam dicitur esse ex patribus, & divinam, juxta quam dicitur supra omnia Deus benedictus in secula, quas diversas naturas eodem modo etiam notat Apostolus Rom. 1. v. 3. quando Christum factum esse ait, *ἐκ σπέρματος* Δαβὶδ *καὶ σαρκας*, & *declaratum Dei Filium ἐν δυνάμει, καὶ πνεύματι ἁγίωσύνῃς, ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν*. ubicunq; enim hæc limitatio sive restrictio in scriptura reperitur, *limitationem* aliquam sive in *genito*, sive in *gignente* significat, præsertim quando *secundum carnem* opponitur ei, quod est *secundum spiritum*. In *genito* limitationem designat, quando generatio secundum carnem & secundum Spiritum *de eodem* dicitur, ut de Filio Dei Rom. 1. v. 3. 4. in *gignente* verò, quando dicitur *de diversis*, ut de Israël, *secundum carnem* 1. Cor. 10. v. 18. & *secundum Spiritum* seu Dei Gal. 6. v. 16. de filiis Abraham *καὶ σαρκας, καὶ καὶ πνεύματι*, ut de Ismaële & Isaac Gal. 4. v. 29. Ismaël dicitur genitus secundum carnem, nempe patris; & Isaac genitus dicitur secundum Spiritum, nempe patris: h, e, vi promissionis, & caro significat vim generandi naturalem in patre: Spiritus vim generandi supernaturalem Abraham datam ex singulari gratia.

Quis verè dicatur Filius naturalis?

Adversarius
corrumpit
textum
Pauli,

45. Pessimè autem & sophisticè agit adversarius, quando Christum appellat *Deum ex patribus* oriundum, corrumpendo textum Apostoli. Paulus enim non docet, Christum *ex Deum*, ortum suum trahere ex patribus; sed expressè addit, *et æternus*: atq; hujus limitationis rationem indicat, quando præter carnem Christum etiam Deum supra omnia benedictum in secula prædicat, significans, eatenus eum ex patribus non esse; sed ab æterno, genitum scilicet *ex natura & essentia Dei Patris*, ac proinde *eiusdem natura* cum Deo Patre, & æternum ac *naturâ Deum*; non autem ex dono vel gratiâ. Deus enim *supra omnia* est *naturâ Deus*, & *Deus benedictus* in secula, est æternus *Deus simpliciter*, absq; principio & fine: idcirco non *donatione*, sed *naturâ*.

Scriptura
nullibi di-
cit, Chri-
stum esse
DEUM
factum su-
pra omnia
à Patre.

46. Porrò & hoc monere voluit Grauerus, quòd, licet scriptura passim tradat, quòd Pater Filium seu Christum exaltaverit super omnia, nullibi tamen dicat, quòd eum *fecerit Deum supra omnia*; cum igitur super omnia *constitutus esse dicitur*, hominem seu humanitatem ipsius notari, se largiri ait: quando verò non simpliciter supra omnia; sed *Deus & quidem Deus benedictus in secula supra omnia esse dicitur*, deitatem æternam notari contendit, idq; ex ijs locis apparere dicit, in quibus de Patre hæc locutio effertur.

47. Sed quomodo hæc placent adversario? *Et hoc frustra* (inquit) *totum est. Primum Grauerus id, quod est in principio, petit. Nunc enim questio instituta est principalis de eo, an Christus sit æternus Deus: & tamen Grauerus eo ipso scripturas explicat, quòd Christus sit Deus, nempe æternus. Haftenus ille.*

48. At ego hoc falsum esse dico. Hæc Graueri mens est: Quia in sacris literis Christus dicatur in tempore constitutus super omnia, inde rectè quidem sequi, Christum esse hominem: cum non ut æternus Deus; sed ut homo potuerit exaltari supra omnia: quia verò & *eiusmodi phrasi dicatur* in scriptura *Deus*, quæ non nisi æterno Deo tribuitur, hinc quoq; rectè concludi, quòd *non tantum sit homo, sed & naturâ & æternus Deus*. Sic igitur Christum & hominem, & simul æternum Deum esse demonstrat Grauerus. Rectius ego adversario Ignorantem Elenchi objicio, dum opposita facit, quæ revera opposita non sunt, nempe Christum in tempore constitutum esse supra omnia, & esse æternum Deum. Utrumq; enim ve-
rum

rum esse potest, diverso respectu: siquidem scriptura Christum ut naturam hominem, & ut æternum & naturam Deum describit: quapropter, licet non ut æternus Deus, attamen ut homo, exaltari in tempore supra omnia potuit, ut ita minimè adversariorum objectione argumentum nostrum ex Rom. 9. c. 5. desumptum labefactetur. Adversarij perinde nobiscum agunt, ac si statueremus Christum esse solummodo æternum Deum, non etiam verum hominem.

49. Pergit adversarius: Deinde etiamsi scriptura nunquam præterea diceret, quòd Deus Pater Christum fecerit Deum super omnia: tamen ideo dici non posset, eum non esse factum talem à Deo Patre; satis enim est, si alijs verbis in scriptura dicat, quæ huius vel equipolleant, vel ex quibus hæc pendeant. Talia autem sunt, cum dicitur, Deum omnia subiecisse sub pedes ejus 1. Cor. 15. v. 27: dedisse illi omnem potestatem in cælo & in terra Matth. 28. v. 18. donavisse illi nomen, quod est supra omne nomen Phil. 2. v. 9. & huiusmodi similia, De quo enim ista prædicantur, non potest non esse Deus super omnia benedictus in secula. Hactenus ille.

50. Verum nihil ad rem dicit adversarius. Non enim quaestio est, utrum is dici possit Deus supra omnia benedictus in secula, cui omnia sub pedibus sunt subjecta, & omnis potestas data in cælo & in terra, & datum nomen supra omne nomen: hoc enim non negamus. Nam licet Christo homini tanta & tam sublimia in tempore data esse doceamus, dicimus tamen & hoc: quòd hæc omnia Christo in tempore dari non potuissent, nisi in una persona esset simul æternus & natura Deus. Confer, quæ diximus thes. 21. 22. Hoc autem erat Smalcio probandum: Christum in scriptura expresse & ad literam dici, Deum à Deo patre effectum. Cum enim Photiniani hanc ipsam doctrinam de Christo, proram & puppim suæ religionis agnoscunt, juxta ipsos etiam præterea & ad literam, illam in sacris literis extare, & quidem non semel; sed creberrimè, ut ipse vult Smalcus Homil. super c. 1. Joh. pag. 88. necessum est, At ne semel in scriptura ad literam extat.

51. Sed objicit adversarius locum Act. 2. v. 36. Quid (inquit) est aliud, quòd Deus Iesum fecit Christum & Dominum, quàm quòd eum Deum fecerit? Deitas enim Iesu in eo consistit tantum, & alterius non extenditur, quàm quòd est Christus & Dominus. Unde etiam creberrimè, cum summa ejus dignitas asseritur, Christus vel Dominus, & unus Dominus appellatur: imò ex eo etiam

Quid adversario sit probandum.

Obiectio adversarij

Responsio.

etiam adversarij colligunt, eum esse Deum unum, quia sic Dominus unus. Hilarius certe lib. 5. de Trinitate & Ambrosius lib. 1. de fide ad Gratian. in loco Act. 2. loco Domini legunt Dei, hoc modo fecit eum Deum & Christum. Hæc ille. 52. Respondeo: Act. 2. v. 36. legitur quidem, quod Deus Iesum fecerit Dominum & Christum, non verò quod fecerit eum Deum. Non itaq; Smalcus probat id, quod probare debebat, nempe ad literam extare in sacris literis, Christum esse Deum à Deo Patre effectum, id quod erat in quaestione. Neq; per omnia unum idemq; est, Christum dominum esse factum, & factum esse Deum. Vocabulum enim Dominus propriè dominium significare, ipsum vocabuli ἰσχυρὸν innuit: unde Christo, ut homini, rectè etiam tribuitur, eo quod ipsi in tempore, quâ tali, omnis potestas in celo & in terra sit data Matth. 28. v. 18. & constitutus dominus supra opera manuum Dei omniaq; subjecta sub pedibus ejus Psalm. 8. v. 7. In eo enim, quod omnia ei subjecit, nihil omisit Pater, quod non sit ei subjectum. Hebr. 2. v. 8. Verùm non ita se habet vocabulum Deus. Illud enim non tantum institutum est ad significandum solum Dominium seu imperium; sed rem summam & præstantissimam, supra omnia existentem & complectentem suâ potentiâ, ut ita nomen hoc, naturæ sit, propriè loquendo, non autem officij, quemadmodum supra notavimus. Quare etiam nomen Deus absolutè positum, nulli creaturæ in scriptura tribuitur. Si verò translate & impropriè sumatur vocabulum hoc, prout idem significat, quod Dominus, non abnuo, quin Christus ratione officij & majestatis communicatæ, dicatur Deus factus, quomodo Hilarius & Ambrosius loco Dominus Act. 2. v. 36. legere potuerunt Deus.

53. Nihil autem facit pro Smalcio, quod ex hoc, quod Christus unus Dominus dicitur, nos proberemus, Christum æternum Deum esse. Id enim non fit propterea, quasi duo hæc vocabula Dominus & Deus nobis simpliciter æquipolleant: sed quia Paulus 1. Cor. 8. v. 6. multis dijs ac Dominis æquè unum Deum ac Dominum opponat, & ita vocabulum Dominus restringatur. Hinc itaq; concludimus: aut unus Deus non est Dominus; aut unus Dominus est unus Deus. Prius & blasphemum: Ergò posterius verum sit oportet. Quia verò Christus unus dicitur Dominus: erit itaq; unus Deus, & sic æternus. Notari autem hîc velim, quod quando Christus Act. 2. v. 16. dicitur Dominus factus, id Smalcio idem sit, ac si diceretur, Christus est Deus factus.

factus. vox itaq; *Deus* & *Dominus* adversario æquipollent. Ergo quando Christus *unus Dominus* in scriptura dicitur, *idem* erit ac si diceretur, *unus Deus*. Sic igitur concludo: *unus Deus est Deus æternus*, quod negare non potest Smalcus: *æternus enim Deus dicitur unus Deus* Deut. 6. v. 4. 1. Cor. 8. v. 20. Christus est *unus Deus*, fatente hinc Smalcio: Ergo est *æternus Deus*. Sed quomodo hæc conclusio placet adversario? tanta scilicet, & tam magna veritatis vis est, ut etiam nolentes eam profiteri cogantur.

54. Illud præterea etiam falsissimum est, quod ait Smalcus, Christi deitatem tantum consistere in eo, nec ulterius se extendere, quam quod sit Christus & Dominus, h. e. *noster redemptor*. Tam latè enim se extendit Christi deitas, atq; ipsius Dei Patris, cum sit *eiusdem essentiae divine cum Patre*: siquidem *unigenitus, proprius & sic naturalis Dei Patris Filius est*, Joh. 1. v. 18. 3. v. 16. Rom. 8. v. 32. ac *καὶ ἐγενήθη τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ* Heb. 1. v. 3. hoc est, expressa & essentialis figura, exprimens personam patris quo ad essentiam: unde & *eiusmodi pbrasi* in scriptura *Deus* dicitur? quæ non nisi æterno Deo Patri in sacris literis tribuitur, uti hætenus ostensum. Ipse porro, unâ cum Deo Patre, *initio terram fundavit, opera manuum ejus sunt cæli* Heb. 1. v. 10. ex psalm. 102. v. 26. omnia gestat verbo suo potenti. Heb. 1. v. 3. Cum Deo Patre igitur etiam *creator & conservator* rerum omnium est. Et sic fuit hætenus primum Graueri argumentum.

55. Videamus nunc, quid contra objiciant Photiniani; Primum dicunt: *Si Christus esset æternus Deus principio & sine carens, hinc hoc absurdum sequi: Duos nempe esse, quorum quilibet naturâ & æternus Deus sit, & unus fuerit apud alterum.* Responderat Grauerus hoc modo: Absurdum non est, si rectè intelligatur: non sequitur, *duos esse naturâ Deos, quorum unus naturâ Deus fuerit apud alterum naturâ Deum*, quod absurdum & impium esse ipsi ultrò fatemur: sed hoc tantum sequitur: *duos esse, hoc est, duas personas esse, quarum non quælibet sit peculiaris naturâ Deus, sed quæ sint numero unus idemq; naturâ Deus, & quarum una fuerit apud alteram, quod absurdum non est.*

56. Ad hæc quid Smalcus? *Istud (inquit) quod rectè intelligi vult Grauerus, intelligi non potest: imò falsum esse intelligitur: nam si due sint personæ æquæ divine, jam due erunt substantiæ æquæ divine: cum persona aliud nihil sit, quam substantia individua intelligens &c.* Si verò sunt due substantiæ æquæ divine, nonne erunt *duo natura dÿ, quod impium & blasphemum*

Christi deitas in quo consistat?

1. Obiectio advers:

Responsio.

Exceptio.

III

num esse ultrò fatetur Grauerus. Non animadvertit scilicet Grauerus se in hac ipsa sua responsione crasse iterum principium petere, dum statuit, in Deo naturam vel substantiam differre à persona, & personas esse plures, quàm naturas, cum tamen multiplicatis personis, substantias etiam multiplicari prorsus necesse sit. Hactenus ille.

Confutatio.

Persona divina quid, & quomodo à divina essentia differat?

57. Respondeo: Falsum est, quòd duæ erunt substantiæ aequè divinae, si duæ sint personæ aequè divinae. Nam, licet persona divina, ab ipsa divina essentia realiter non differt, differt tamen ratione. Persona divina est quidem ipsa divina essentia, attamen non simpliciter, sed determinata in uno individuo, proprietate suâ characteristicâ, & modo subsistendi. Persona igitur propriè duo completitur, substantiam, & proprietatem sibi peculiarem & incommunicabilem, ut *τὸν ἑαυτοῦ ἕως* modum subsistendi, qui etiam personalis proprietas aut relatio vocatur: & hic subsistendi modus personam à persona distinguit. Hinc persona nobis nihil aliud, quàm *subsistens individuum intelligens & incommunicabile, non sustentatum ab alio*. Ineptissimè autem Smalcus Graueri hic petitionem principij objicit. Quid enim hoc ad Grauerum, si ipse callidè & captiosè præsupponat, personam ab ipsa divina essentia non differre, ac proinde, dum cum suis affectis contra nos opponit: si non minus Christus quàm Deus Pater sit naturâ & æternus Deus, duos esse deos quorum quilibet naturâ & æternus Deus sit, id ita intelligat: duas scilicet esse personas divinas, quarum quælibet sit peculiaris naturâ Deus: cum tamen Graueri conclusio hæc erat: non tantum Deum Patrem esse naturâ & æternum Deum: sed & Christum Dei Patris Filium unigenitum, & sic ejusdem naturæ sive essentia cum Deo Patre, cum ipsi ea in scriptura tribuantur, quæ non nisi ei competunt, qui naturâ & æternus Deus est, ac proinde plures esse personas in una eademq; divina essentia. Hic Photiniani ab initio, si candidè agere voluissent, expressè sic contra nos argumentum fuisset formandum: non posse plures esse personas divinas in una eademq; divina essentia, cum in Deo natura vel substantia non differat à persona. Norunt enim, quòd nobis unum idemq; simpliciter non sit, persona & essentia divina: cum ergo Photiniani præsupponunt, quòd adhuc in questione est, ipsi potius fallaciam petitionis principij commisisse, dicendi sunt. Ut verò argumentum à Catechismo Photiniano rû proponitur, aliter illud accipere non potuit Grauerus, quàm hoc modo:

modo: duas scilicet fore divinas substantias, si non minus *Christus* esse
eternus & naturâ Deus, atq; *Deus pater* est: unde etiam consequentiam
negat, & tantû in hoc sequi dicit: *duas fore personas*, quarum non quæ-
libet sit *poculiaris naturâ Deus*, sed quæ sint numero unus idemq; *naturâ*
Deus. Contra hanc responsionem illud nunc *novum* argumentum
est, quod objicit Smalcus: nempe *duas esse substantias æquè divi-*
nas, si *duæ* sint personæ æquè divinx: cum persona divina nihil
aliud, quàm substantia individua intelligens &c. Sed ad hoc jam
fuit responsum.

58. Addo præterea, falsum & hoc esse, multiplicatis perso-
nis divinis, substantias quoq; necessario multiplicari. Distin-
guendum enim inter personas creatas & increatas, inter personas
in communi & personas determinatè consideratas. Nam ad plu-
rium personarum in communi consideratarum constitutionem & dif-
ferentiam non simpliciter requiritur, ut distinctæ & divisæ sint essen-
tiæ, sed sufficit. 1. ut una persona non sit in alia, tanquam accedens in subje-
cto. 2. ut una non prædicetur de alia; sed ab eadem sint distincta. Quòd verò
distincti homines, veluti *Petrus, Iacobus, Iohannes*, essentialiter differunt,
& distinctas habent essentias, id non fit præcisè propterea, quòd dif-
ferunt personis, sed quòd finiti sunt, & materiales ac divisibiles. Dei au-
tem essentia est infinita, & proinde numero una eademq; esse potest
plurium personarum sive in pluribus subsistere personis absq; multipli-
catione: sicuti propter infinitatem simul & semel, absq; multiplicatione,
tota ubiq; esse potest: nec necessum est, ut qualibet persona propriam
essentiam habeat; sed omnes personæ deitatis possunt habere unam
communem essentiam infinitam. Nihil itaq; hac sua objectione effi-
cit adversarius.

59. Deinde contra locum ad Rom: 9. v. 5. objiciunt Photi-
niani, quòd hic *Deus benedictus sit ex patribus*: Deum vero æternum non esse
ex patribus, imò non nisi absurdè ei adscribi, qui naturâ sit Deus. Respon-
derat Grauerus hoc modo: Absurdum est attribui ei, qui naturâ est
Deus & non simul homo. Christus autem est naturâ quidem Deus: sed &
simul naturâ homo. Citra omnem igitur absurditatem Christo, quâ
homo est, attribui poterit, quòd sit ex patribus, licet quâ æternus Deus
ex patribus non sit.

Quid faciunt
plures per-
sonas?

2. Object.
Responsio.

Exceptio.

60. Sed quid ad hæc adversarius? Egregia sanè (inquit) disputandi ratio, eo ipso, quod in controversia est, simpliciter prolato, controversiam dirimere velle. Si Christus est naturâ Deus: Si est æternus Deus, cur hic quaeritur, an Christus sit æternus Deus. Hæc ille.

Confutatio

61. Verùm rursus affingit Smalcius Graüero, quòd de deitate Christi æterna disputans, præsupponat Christum æternum Deum esse, & sic controversiam dirimat; minimè verò; sed hoc agit, quia Photiniani, contra nos asserentes Christum æternum Deum esse, eò quòd Rom. 9. v. 5. dicitur Deus super omnia benedictus in secula, quæ æterni Dei nota & descriptio est, obijciunt, Christum ibi etiam dici ex patribus esse: ideoq; æternum Deum esse non posse, ut demonstret, hæc duo inter se non pugnare, cum utrumq; verum esse possit, diverso respectu, & quòd sit ex patribus, quia verus homo est, ideoq; etiam Paulum disertè addere, quòd sit ex patribus & sic pugnare, & quòd sit æternus Deus, quo respectu ab eodem dicitur supra omnia Deus benedictus in secula: idcirco Photinianos Ignorantem Elenchi committere, dum ab illis opponuntur, quæ opposita non sunt, ac nobiscum non aliter agere, ac si statueremus, Christum tantum æternum Deum esse, & non simul etiam hominem: verùm de his supra quoq; diximus. Nunc notari velim, quando cum Photiniani nobis disputatio est de persona Christi, hoc in quaestionem venire: utrum Christus tantum natura homo sit, & non simul etiam æternus & naturâ Deus, in una scilicet persona, cum non tantum, quæ in verum & naturâ hominem cadunt: sed &, quæ non nisi in æternum & naturâ Deum cadere possunt, in scriptura ipsi attribuantur? Hoc observato, in fumum abit, quod toties de petitione principij obijcit adversarius.

Quis verus controversiæ status sit inter nos & Photinianos?

3. Obiectio.

62. Sed jam aliud obijcit Catechismus Racov. pag. 96. contra duas in Christo naturas. Dux (ait) essentia seu natura proprietatibus differentes, veluti mortalis & immortalis, principium habens, & principio carens, mutabilis & immutabilis, &c. nullo modo in una persona uniti possunt. Atq; divina natura & humana sunt ejusmodi. Ergo. Responderat Graüetus ita: Majorem præcisè negamus, non solum, quia ab adversarijs nullâ vel verisimili saltem ratione probatur; sed etiam, quia exemplo animæ & corporis, quæ in una persona hominis uniuntur, solide refutatur.

Respons.

63. Verum audiamus, quid ad hæc dicat adversarius? Ego verò (inquit) dico, non nostrum ad distinctionem Graueri tollendam argumentum, sed probationem illius distinctionis, quam nos jure rejicimus, afferendam fuisse Grauero. Hactenus ille. Quasi verò ex loco Rom. 9. v. 5. non sufficienter fuisset demonstratum, duas in Christo naturas esse, humanam scilicet, eò quòd dicitur esse ex patribus *et* *ex* *patre*, & divinam, quia appellatur Deus super omnia benedictus in secula.

64. Pergit: Dico iterum Grauerum parum rectè argumentum nostrum concepisse. Nam non de essentijs vel naturis, quæ proprietatibus sint differentes, ut habet Grauerus, sed de naturis vel essentijs, quæ proprietatibus sint contrariæ, disertè loquimur. At verò quid hoc aliud est, quando Grauerus dicit, duas naturas proprietatibus differentes, ita videlicet, ut est mortalis & immortalis, uniri in una persona non posse, quàm, duas naturas, quæ proprietatibus sunt contrariæ, uniri in una persona non posse. Quæ enim ita differunt, ut mortalis & immortalis, illa etiam contraria esse, quis non videt?

65. Pergit ulterius: dico porro injuria majorem à Grauero negari, & probationem ejus à nobis postulari. Niritur enim eo canone, qui longè illustrius & verissimus: quòd contraria invicem se tollant: niritur etiam eo, quòd manifesta foret contradictio, si dicatur vel duas contrarias, vel duas etiam diversas substantias de uno & eodem subjecto absolutè predicari, atq; hac ratione simul in eo esse posse. Tot enim res diversas esse necesse est, quot sunt diversæ formæ essentielles. Hactenus Smalcus. Verum Majorem ineptè probat adversarius. Nam primùm contraria dicuntur, duæ qualitates agentes & patientes invicem, quæ sibi mutuo succedunt in subjecto, & quarum altera pellit alteram. Quid verò hoc ad rem? duas quidem essentias sive naturas proprietatibus contrarias in una persona uniri posse dicimus, attamen non sic, ut proprietates unius naturæ, fiant proprietates alterius naturæ: hoc enim absurdum & impossibile esse, quis ignorat? nec etiam unionem, sed confusionem importaret.

66. Deinde non erat Smalcio dicendum, duas contrarias substantias de uno & eodem subjecto absolutè prædicari non posse, sed potius, duas substantias proprietatibus contrarias. Substantiæ enim substantijs contrariæ non sunt, sed qualitates sibi invicem contrariæ dicuntur. Nec substantiæ dicuntur esse in subjecto, ut hic iterum lo-

Exceptio.

Confutatio

Exceptio
alia.

Confutatio

Exceptio.

Confutatio.

Error
Smalcij.

quitur Smalcus, licet de subiecto dicantur: nisi id ita intelligi ve-
lit, substantias scilicet inesse subiecto, secundum modum & ἕως
prædicati, nempe, ad subiectum, seu eo modo, quo se habent ad
subiectum, atq; sic intelligat subiectum logicum, non physicum. Nam
aliàs in subiecto esse, nempe physico, Philosophus vocat, quod non po-
tè esse sine subiecto, & tamen non est pars illius, veluti eruditio est
in homine: hoc autem propriè accidentium est, non substantiarum: pro-
prium enim substantiæ est, in subiecto non esse, eo quòd est ens per se,
& non in alio. Quid autem hic canon facit pro Smalcio? Quis
enim ex nostris unquam dixit scripsitve, duas substantias proprietatibus
contrarias in una persona ita uniri posse, ut de eorum composito simplici-
ter & absolute, scilicet ὡς ἓν καὶ τὸ αὐτὸ, prædicentur? hoc
enim innuere videtur adversarius, quando ait, manifestam fore con-
tradictionem, si dicatur, vel duas contrarias, vel duas etiam diversas substan-
tias, de uno & eodem subiecto absolute prædicari, atq; hac ratione simul in eo
esse posse: fingit hoc adversarius. Quando enim duas naturas, divi-
nam & humanam in una persona uniri dicimus, non tamen id, hoc mo-
do, fieri docemus, ut scilicet de persona hac simpliciter & absolute,
ὡς αὐτὸ καὶ τὸ αὐτὸ prædicetur homo & Deus; sed secundum
quid, & certo respectu, nempe, quatenus divinam naturam habet, eatenus
persona hæc æternus Deus dicitur, & quatenus etiam verâ naturâ humanâ
præditus est, eatenus appellatur homo. Ita ipse Apostolus loquitur
de Christo Rom. 9. v. 5. quando dicit: Christus est ex patribus, hoc
est, verus homo: at non simpliciter, sed addit, καὶ ὡς ἓν, quatenus sci-
licet ex ipsis ortum & carnem suam habet: & Christus est Deus supra
omnia benedictus in secula, quatenus non est ex patribus. Hoc autem
facere non potuisset, nisi duæ naturæ, divina & humana, in Christo in
una persona, sive personaliter, essent unite.

67. Videtur autem Smalcus hic nobis affingere confusionem
καταφανήν, quam minimè statuimus. Duas Christo naturas inesse
dicimus; non verò ut una in altera sit subjectivè, vel tanquam
in subiecto; sed, ut ex illis, non quidem tanquam partibus, sed
numero duabus naturis, constituitur totus Christus: quemadmo-
dum etiam absq; contradictione duæ substantiæ, proprietatibus
contrariæ, anima nempe & corpus, sunt in homine, tanquam in
composito. Sed ad hoc exemplum ita respondet Smalcus;

Dico

Dico deniq, non nisi desperationem ea verba Graueo expressisse, quod exemplum anima & corporis, quae in una hominis persona uniantur, solide refutetur nostra ista major. Nunc enim nobis sermo est de substantijs, ut ita dicam, perfectis, quarum qualibet per se consistit, quales in Christo duas non consistere, ipsius adversarij fatentur, dum negant, Christum esse perfectum hominem & humanam personam. Itaq, frustra Graueus exemplum de anima & corpore huc adducit. Haecenus ille.

68. At ego dico, Smalcium hic iterum hallucinari, dum ait, sibi sermonem esse de substantijs perfectis, quarum qualibet per se consistit. Nonne anima & corpus sunt substantiae perfectae, & consistunt per se & non in alio, tanquam in subiecto, & tamen uniantur in una persona? annon omnis substantia perfecta est, cui nihil deest ad suam quae ei debetur, integritatem? Sed forsitan dicere voluit adversarius, se loqui de substantijs completis, quales non sunt anima & corpus. At tunc respondeo concedendo, duas substantias, quo ad ultimum terminum & subsistendi modum, completas, non posse uniri in una persona: hoc enim manifestam implicare contradictionem novimus, cum hac ratione, non una; sed duae forent personae: possunt tamen duae substantiae in una persona uniri, quarum una quidem completa; altera vero personalitate sua, seu ultimo suo termino, nondum terminata, & sic ultimum suum complementum & subsistendi modum, coniectura est. Sic docemus in Christo duas naturas, divinam & humanam, in una persona unitas esse, ita nempe, ut humana Christi natura, propriam suam personalitatem non habeat, sed subsistat in persona divina, a qua assumpta est. Potuisset autem natura Christi humana suam naturam propriam suam habere personalitatem, imo etiam habuisset, nisi personae divinae fuisset unita: illa enim sui unione impedivit, ne humana Christi natura propriam suam personalitatem haberet.

69. Neq, tamen ob hoc iolum, quod humana Christi natura non propria, sed aliena subsistat personalitate, Christus perfectus homo non est: siquidem ei nihil deest, quod ad veritatem & perfectionem naturae humanae attinet. Diversa quidem personalitas est in Christo ac alijs hominibus, una tamen eademq, prorsus humanae naturae ratio est. Nec personalitas ad constitutionem naturae humanae se habet, vel ut materia, vel ut forma; sed tantum terminus & naturae modus est, & in

Quomodo
duae substantiae
perfectae possunt
uniri in una
persona?

An Christus pro-
pterea perfectus ho-
mo non sit,
quod personalitatem
humanam non habeat?

& in tantum ad naturam hominis pertinet, in quantum pertinet ad eam, ut per *personalitatem* terminetur, modificetur, & ultimum suum complementum & subsistendi modum assequatur, & subsistat. Quia igitur humana Christi natura in persona divina, à qua est assumpta, subsistentiam suam consecuta, perq; illam personata ac terminata est, ut ulterius terminari non possit, imò propria facta est naturæ humanæ, nihil quoq; homini Christo deest, quod ad *subsistentiam* ejus attinet. Hoc cum nos docere, Smalcio non sit ignotum, annon itaq; per gravissimam calumniam nobis affingit nos fateri, Christum non esse perfectum hominem? Humanam quidem naturam personam per se non esse, fatemur, eò quòd personalitate propriâ destituatur, & tantum subsistat personâ divinâ: at propterea Christus imperfectus homo non est: siquidem non ob *humanam personalitatem*, sed ob *veram humanitatem*, homo qui est, homo est. Quia itaq; juxta naturam doctrinam, Christo homini nihil quicquam deest, quod vel ad perfectionem naturæ humanæ, vel etiam ad ipsius subsistentiam pertinet, sed *tantum accedit* potius, *quantò persona divina & infinita potior humana & finita est*, ex peculiari (inquam) hac subsistentia, quam humana Christi natura in persona divina habet: ipse quoq; juxta eandem non tantum perfectus homo erit, sed & hominum omnium perfectissimus.

70. Ex his nunc patet, etiamsi de completis substantijs Photinianis sermo sit, quando negant, duas substantias proprietatibus adversas sive contrarias, in una persona uniri non posse, non tamen desperationem Graüero verba hæc expressisse, quod exemplo animæ & corporis, quæ in una hominis persona uniuntur, solidè refutetur *Major* propositio Photinianorum: siquidem ne sic Dei gratiâ, nobis deest, quod ipsis respondeamus. Quia verò Catechismus primò *absolutè* negat, *duas substantias proprietatibus contrarias in una persona uniri posse*, ut satis clarè innuunt verba hæc: *duæ substantiæ proprietatibus adverse coire in unam personam nequeunt, ut sunt, mortalem & immortalem esse, principium habere, & principio carere, mutabilem & immutabilem existere*: illud verò de substantijs completis postea demum subjungit, ut mox videbitur: imò ipse Smalcus comprobatur, de substantijs proprietatibus contrarijs, *absolutè* sermonem esse, quando ait, *injuriâ Majorem à Graüero negari & probationem ejus postulari: nisi enim*

animi eo canone, qui longe est usitatissimus & verissimus: quod contraria in vi-
cem se tollant: rectè ipsi objicere potuit Grauerus, exemplum ani-
mæ & corporis, quæ in una persona uniantur, contrarium testari.
Deinde etiam, ad exceptionem Catechismi, animam & corpus in
una persona aliter uniri, atq; nos docemus, uniri duas naturas in Christo, re-
ctissimè respondet hoc modo: Est Elenchus κ^{a} π . Negatio mo-
di non tollit rem ipsam. Licet anima & corpus aliter uniantur,
attamen uniantur, quod sufficit: non enim modum unionis argumen-
tum adversarij; sed ipsam unionem impugnabat: Ostensum autem
fuit exemplo animæ & corporis duas naturas seu essentias proprietatibus
adversas, in una persona uniri posse; quod sufficit.

71. Verùm excipit adversarius: Quid facilius fuit, quàm cogita-
re nos nos aëo bardos esse, qui nesciamus, duas substantias contrarias suo mo-
do posse ad unam personam constituendam concurrere, tanquam duo ad ter-
tium quid constituendum, hoc enim pueri in scholis norunt: sed dum dicimus,
duas contrarias substantias, non posse in unam personam coire, hoc ita intelli-
gere, ut scilicet utraq; essentialiter de illa prædicetur, & utraq; per se subsistat,
licet id in Catechesi, ubi brevitati studetur, non addiderimus. Non sufficit
igitur ostendisse posse, quodammodo duas contrarias substantias ad unam perso-
nam constituendam concurrere; sed docendum præterea est, si validum debet
esse adversariorum exemplum, eo modo concurrere ad Christum constituen-
dum Deum & hominem, quo concurrat anima & corpus ad constituendum ho-
minem. Hæc ille.

72. At si ita bardi non sunt Photiniani, ut nesciant, duas
substantias contrarias (rectius dicitur proprietatibus contrarias: sub-
stantia enim substantiæ contraria non est) suo modo posse ad unam
personam constituendam concurrere, cur ergo illud simpliciter ne-
gat Catechismus? cui bono adducit Smalcus hunc canonem; con-
traria invicem se tollunt? annon propterea: quia duæ substantiæ
contrariæ, ut loquitur Smalcus, se invicem tollunt, vel duæ substan-
tiæ proprietatibus contrariæ non possunt uniri in una persona, nisi ita, ut
unius substantiæ proprietates, fiant proprietates alterius, & sic una proprie-
tas tollat alteram? at hoc falsum esse monstrat exemplum animæ &
corporis: vel si tantum canonem illum contra nos allegat, quasi
doceremus, duas naturas in una persona Christi ita uniri, ut propieta-
tes divini nature, fiant proprietates humane nature, vel ita, ut Deus
essen.

Alia exce-
ptio advers

Responso.

Duae naturae
quomodo
in Christo
sint unitae?

*essentialiter sit homo, & homo Deus, certè affingit nobis Smalcus id, quod ne per febrim quidem somniavimus: an putat adversarius, nos esse adeò bardos, ut nesciamus, hæc esse absurda & impossibilia. Quorsum verò & illud, quod dicit Smalcus, se, dum asserit, duas substantias contrarias non posse in unam personam coire, id ita intelligere, ut scilicet utraq; essentialiter de illa predicetur, & utraq; per se subsistat? quis docet, duas naturas, divinam & humanam in Christo ita in una persona uniri, ut utraq; natura propriam suam habeat subsistentiam? hoc enim Smalcio hic est, per se subsistere: quos hic habet adversarios? certè nullos. Ita nos docere, duas naturas Christo esse unitas, jam etiam supra monuimus, ut persona divina, non assumeret personam humanam, (nec enim persona personam assumit: sic namque non una, sed duae essent personae: nec natura etiam naturam: actio enim non naturarum, sed suppositorum est), verum naturam humanam ex Maria virgine, in unitatem suae personae, ita, ut in divina persona suam habeat subsistentiam, & persona divina facta sit propria naturae humanae. Hinc, quia Christus persona est, ex duabus naturis constans, rectè de tota persona essentialiter predicatur Deus & homo: quò respectu dicit Apostolus Rom. 9. v. 5. Christus est ex patribus *et origo*, id est, *verus homo*, & Christus est *Deus super omnia benedictus in secula*. Non autem essentialiter de se invicem predicantur duae hæc naturae, etiam in concreto, nempè Deus est homo & homo est Deus: Hæ enim predicationes, non unionem; sed naturarum confusionem introducerent; sed personaliter: quod enim Deus homo est, & homo Deus, fit propterea: quòd Deus naturam humanam in unitatem suae personae assumpsit, & quòd humana natura in personam divinam assumpta est.*

73. Porro, quia duas naturas in Christo nec ita unitas esse docemus, veluti ununtur anima & corpus in homine, quid opus est, ut probemus, eò modo concurrere ad Christum constituendum divinam & humanam naturam, quo concurrunt anima & corpus ad constituendum hominem? cum eandem ad probandam ipsam unionem, non unionis modum, hoc exemplo utamur. Sed hic clamabit Smalcus; nullo igitur exemplo modum unionis duarum naturarum in Christo demonstrari posse. Rehero: nec ullo exemplo modus unionis animae & corporis probari potest. Dicit proculdubio hunc unionis modum

dum constare ex ipsa natura. Regero iterum: illum constare ex
 scriptura. Nam I. Christum unicam esse personam apertè testantur
 sacrae literæ, quando eum unicam dominum esse dicunt, veluti. Cor.
 2. v. 6. unus Dominus, per quem omnia, nempe Christus, & 1. Tim. 2. v. 5.
 unicum mediatorem: unus est mediator Dei & hominum, homo Je-
 sus Christus. Hinc Filius hominis dicitur Filius Dei viventis Matth. 16.
 v. 16. qui dicitur Filius hominis, dicitur etiam Filius altissimi Luc. 1. v. 32.
 Matth. 3. v. 17. & cap. 17. v. 5. Pater de Filio hominis clamat: hic
 est filius meus dilectus. Non posset autem de eodem Christo dici, quòd
 sit naturalis & proprius Dei filius, & simul hominis filius, nisi unica simul esset
 persona. Quapropter etiam omnes actiones & passiones Christo tri-
 buuntur in sacris literis, tanquam uni personæ & tamen. 2. ita uni-
 ca persona est Christus, ut ipsi etiam in scriptura attribuuntur, &
 quæ non nisi vero ac naturâ homini competunt, & quæ non nisi naturâ
 æternæ Deo. Sic Paulus Rom. 1. v. 3. Christum dicit esse ex semine Da-
 vidis & ex genere, Rom. 9. v. 5. ex patribus & ex carne, & expressè ho-
 minem 1. Tim. 2. v. 5. appellat. In Epist. verò ad Tit. c. 2. v. 13. Chri-
 stum vocat magnum Deum. Expectantes, inquit, beatam illam spem
 & illustrem illum adventum gloriæ magni illius Dei ac servatoris nostri Je-
 su Christi. Hic quidem excipiunt Photiniani, per magnum Deum in-
 telligi Deum patrem; sed frustra. Nam vocabulum Θεοφάσις
 nusquam in scriptura attribuitur Patri; sed semper de Christo usurpatur:
 quemadmodum testantur omnia illa scripturæ loca, in quibus vox
 illa reperitur. Vide Luc. 1. 79. 2. Thess. 2. v. 8. 1. Tim. 6. vers. 14.
 2. Tim. 1. v. 10. & 4. vers. 18. &c. Si verò hic etiam Deo patri attri-
 buere voluisset Apostolus, dicendum fuisset καὶ τὸ θεοφάσις,
 articulo scilicet proposito, ut ita expressè pater à filio distingueretur.
 Jam verò Apostolus non distinguit magnum Deum à servatore; sed ut-
 rumq; uno tantum articulo expressè conjungit, & Θεοφάσις non
 ut duobus, sed ut uni attribuit. Nec est, quod iterum excipiant,
 non legi, expectantes adventum magni Dei: sed expectantes apparitionem
 gloriæ magni Dei, ἡ, ε, Dei patris: siquidem Paulus apparitionem
 Christi, per ἑβραϊστικὴν apparitionem gloriæ nominat, hoc est, glo-
 riosam apparitionem, qui ἑβραϊστικὴ in Novo Test. est nō infrequens,
 Manet igitur per magnum Deum apud Paulum intelligi Christum. Ita

Christus u-
 nica perso-
 na.

Christus ica
 unica per-
 sona, ut si-
 mul sit na-
 turâ homo
 & naturâ
 Deus.

quoq; ab eodem Apostolo Rom. 9. v. 5. dicitur *Deus super omnia benedictus in secula*, quâ phrasi *eternum & naturâ Deum* notari hæcenus fuit demonstratum: & Joh. 20, v. 28. Thomas Christum *Dominum & Deum suum* appellat. Quoties autem sanctus aliquis in scriptura aliquem *absolutè suum Deum* appellat, sine respectu certæ rei, toties æternus Deus intelligitur.

74. Cum igitur scriptura Christum *verum & naturâ hominem, & simul verum & naturâ Deum*, & tamen non nisi *unicam personam* esse, testatur, quis non videret, *duas naturas divinam & humanam* in *unam personam* unitas esse. Hinc etiam illud est, quòd in sacris literis *actiones à diversis naturis* originem habentes, Christo, tanquam *uni* tribuantur, veluti Hebr. 1. vers. 10. ex Psalm. 102. vers. 26. *Tu initio Domine, terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cæli: & v. 3. ipse sustinet omnia verbo illo suo potente*, Joh. 1. v. 3. Col. 1. v. 16. *Omnia per ipsum facta sunt* 1. Cor. 8. v. 6. *Unus Dominus Iesus Christus per quem omnia, & nos per ipsum* Matth. 20. v. 28. *Filius hominis venit, ut det animam suam pretium redemptionis pro multis*. Hebr. 2. v. 14. *ipse per mortem abolevit eum, qui mortis habebat imperium*. Ubiq; autem *actiones à diversis naturis* originem habentes, tribuuntur *uni* tanquam *uni*, ibi *unitas personæ* est, & *duæ naturæ*: quæ *duæ* etiam *naturæ*, ut in *una illa persona* sint *unitæ*; necessum est.

75. Sic nunc ex scriptura probavimus, *duas in Christo esse naturas* easq; in *unam personam* unitas. Et hanc unionem quoq; *naturarum in Christo* non pugnare cum sanâ ratione, hoc est, *non implicare contradictionem*, supra ostendimus, licet nullum in natura detur exemplum, quo *unionis modus* probari queat: sicut nec in natura datur aliud exemplum, quo *unionis modus* animæ & corporis demonstrari possit. Quando verò nos exemplo illo utimur, fit id, ut supra etiam monuimus, ad probandam *ipsam* duarum naturarum *unionem*: proinde, dum Photiniani contra excipiunt, animam & corpus non *eo modo*, uniri in una persona, quo nos duas naturas in Christo unitas esse docemus, rectè sic ipsis responderet Grauerus: quæ consequentiæ ratio? anima & corpus *aliter* uniuertur in una persona, quam nostræ Ecclesiæ duas naturas in Christo uniri dicunt: Ergò *duæ naturæ in Christo non uniuertur: annon & sic? Equus non*

non est talis animalis species qualis homo: Ergo Equus non est animal? Negata specie, non tollitur genus.

76. Sed jam nunc profert Catechismus Racov: argumentum illud de substantijs completis, cujus supra facta fuit mentio. *Duae (ait) naturae, quarum quaelibet personam facit, in una persona uniri non possunt*: sic enim non una, sed *duae* essent personae, & sic duo Christi. Responderat Grauerus ita: naturam humanam in Christo peculiarem aut per se personam facere aut esse, nunquam docuerunt nostrae Ecclesiae, nec necessum est, ut doceant, quicquid catechismus pag. 57. dicat.

77. At hoc est (inquit Smalcus) Graueri, quod causae vestrae prodat vitiositatem. Nam si Christus verus homo est, quomodo non erit persona humana? & qui illud de Christo praedicat, quomodo non necessario etiam hoc de illo praedicare tenetur? cum nulla scriptura, nulla figura, nullus loquendi modus patiat, ut is non sit persona humana, qui homo est: imò persona homo est, & qui Christum veram humanam personam esse negat, is verum etiam hominem eum esse ut neget, necesse est, & sic tantum non negat, Iesum esse Christum, quod istud est Satanae in excogitando Filio Dei alio praeter & ante eum, qui ex virgine natus fuit, astutiae & audaciae plenum stratagemma, quanto vero praestabat dicere, Iesum esse Deum non naturam, sed dignitate. Hoc enim & sacrae literae & sana ratio permittit, quam affirmando, Christum esse Deum naturam, negare eum esse humanam personam, & proinde verum hominem: quo summa Deo gloria, humano vero generi summa adimatur consolatio. Haec tenus Smalcus.

78. Respondeo: Solutio ex parte patet ex superioribus. Non negamus, eum, qui verus homo est & dicitur extra unionem ad aliam personam, propriam suam habere personalitatem, quam subsistat, & sic esse personam humanam, quam ratione recte ait adversarius; nullam scripturam, nullam figuram, nullum loquendi modum pati, ut is non sit persona humana, qui homo est: verum quod absolute & simpliciter necessarium sit, ut qui homo est & dicitur, propria & humana subsistat personalitate, falsum est. Nam uti supra monuimus, personalitas ad naturam hominis, neque ut materia, neque ut forma se habet, sed tantum naturae modus & terminus est, & in tantum pertinet ad naturam hominis, in quantum pertinet ad eam, ut personalitate terminetur, & ultimum suum complementum assequatur: sive ergo id nunc fiat propria sive aliena personalitate, perinde est: terminatur enim, & ultimum

4. Obiectio?

Responsio:

Exceptio:

Confutatio:

suum complementum assequitur. Quoniam igitur Christus ita nobis verus homo est & dicitur, ut humana ipsius natura sit unita ad personam divinam, inq; ea nunc propriam suam substantiam habeat, minimè necessum est, ut humanam ei attribuamus personalitatem, quâ subsistat.

Excipio
alio.

Confutatio.

79. At excipit adversarius, personam hominem esse, & qui Christum veram humanam personam esse negat, ut verum etiam hominem cum esse, ut negat, necesse esse. Respondeo: persona homo est, quo ad rem ipsam, non quo ad rei modum: hoc est, quo ad ipsam naturam humanam, non quo ad naturam humanæ modum sive terminum, quæ dicitur personalitas. In omni enim persona duo se offerunt, natura videlicet singularis, & personalitas, quâ natura illa personatur & subsistit, quaq; una persona ab aliâ distinguitur. Quia verò loco personalitatis humanæ in Christo est persona divina, quæ humana naturæ superaddita, id ipsum nunc est, quod aliàs significat persona humana in alijs hominibus, nihil hominæ Christo decedit, quod ad perfectionem naturæ humanæ attinet: illa enim eadem est prorsus cum alijs hominibus: nec quod ad substantiam eius pertinet: sed tantum accedit potius, quanto persona divina & infinita, quâ humana ejus natura subsistit, potior finita est. Quare negatâ personalitate humanâ, non necesse est, ut negemus, Christum esse hominem, & sic Jesum esse Christum, quicquid etiam dicat adversarius.

80. Nec quicquam ad nos illud Satanae in excogitando Filio Dei alio præter & ante eum, qui ex virgine natus fuit, astutia & audacia plenum stratagemata. Non enim alium confitemur Dei Filium, alium inquam, præter & ante eum, qui ex virgine Maria natus est; sed unam eandemq; personam, unum eundemq; Dei Filium dicimus ab æterno à Deo patre genitum esse ex ipsius essentia, cujus respectu, unigenitus, proprius & naturalis ejus Filius dicitur, Joh. 1. v. 18. 3. v. 16. Rom. 8. v. 32. καὶ ἡ ἀρχὴ τῆς ζωῆς αἰῶνος αἰῶνος Hebr. 1. v. 3. & in plenitudine temporis, ut Apostolus loquitur, Gal. 4. v. 4. factum ex muliere, assumendo scilicet humanam naturam ex virgine Maria Abrahæ filia, Heb. 2. v. 16. in qua & secundum quam naturam dicitur natus sive factus, Rom. 1. v. 3. & passus 1. Petr. 3. v. 18. atq; hunc etiam Dei Filium scriptura ita describit, quòd non tantum sit verus & naturâ homo, sed & naturâ & æternus Deus

in

in una eademq; persona, quod vel solus locus Pauli Rom. 9. v. 5. de quo haecenus egimus, testatur. Ibi enim non tantum ex patribus & scripturis esse dicitur, sed & supra omnia Deus benedictus in secula. Is autem, qui talis, non ex gratia; sed naturam & aeternus Deus est, ut haecenus vidimus.

81. Verum rursus obijciunt Photiniani, divinam in Christo naturam repugnare etiam sacris literis. Haec enim tradunt, unum tantum esse Deum naturam, eumq; patrem esse discrete testantur, Ioh. 17. 3. 1. Cor. 8. 6. Eph. 4. v. 4. Responderat Grauerus in hunc modum: Unum esse essentia concedimus; sed non personis. In locis allegatis Filius non excluditur, nisi & in loco 1. Cor. 8. patrem non esse dominum, simili jure probare voluerimus.

82. Ad haec quid Smalcus? Digna, inquit, Graueri eruditionis responsio. Nos probamus Christum non habere divinam naturam, & proinde non esse plures unam personas divinas, adductis evidentissimis sacrarum literarum testimonijs: Grauerus respondet Deum esse unum non personis. Quid ineptius in disputando dici potest? Ita ille. At non animadvertit adversarius, Grauerum hic consequentiam argumenti negare, dum ostendit, ex illis scripturae dictis, quae unum Deum esse testantur, non sequi, Christum non habere divinam essentiam, eum divina illa & simplicissima essentia, quia infinita, absque multiplicatione, pluribus personis communis esse possit: licet ergo sequatur, Deum in essentia unum esse, non tamen mox sequi, unum etiam esse in personis. Quod igitur Smalcus, ut probatum hic praesupponit, argumento suo certe nondum comprobavit.

83. Pergit adversarius: Filium non excludi in locis allegatis, obscure dictum est. Non excluditur quidem simpliciter, nam & Filij cognitio ad vitam aeternam necessaria est, sed ab uno Deo excludi eum nimis discrete ipsa verba testantur. Nam in primo dicitur vitam aeternam esse in eo, si quis cognoscat Patrem, qui est solus verus Deus, & si quis cognoscat etiam Iesum Christum, quem Pater ille misit. Ibi, ut is, qui est missus non potest esse ille solus verus Deus vel Pater; sic vicissim ille, qui est solus verus Deus, nullo modo esse potest is, quem ille misit. Haecenus ille. Respondeo: Quaestio hic non est, an simpliciter in loco Joh. 17. v. 3. excludatur filius, sed utrum ibidem ab aeterna excludatur divinitate, quod

s. Objectio.

Responsio.

Exceptio.

Responsio.

Exceptio.

Confutatio.

nos

nos negamus. Quando enim Christus ait: *ἵνα γινώσκωσίν σε, τὸν μόνον ἀληθινὸν θεόν*, id est, ut cognoscant te, qui es ille Deus, qui solus verus est Deus, id est, ille Deus, præter quem non est ullus verus Deus, non opponitur Pater Filio, sed *idolis & fictitijs diis gentium*, qui naturam dii non sunt Gal. 4. v. 8: siquidem expressè de Filio dicitur 1. Joh. 5. v. 20. Hic est verus ille Deus, & vita æterna, *ὃς ἴσθιν ὁ ἀληθινὸς θεός, καὶ ἡ ζωὴ αἰώνι*. Postulat enim pronomini istius propria significatio, ut ad Christum hoc referatur, & peculiare etiam ubiq; Johanni est, per vitam æternam significare Christum, & Rom. 9. v. 5. dicitur *Deus supra omnia benedictus in secula*, item in Epist. Judæ v. 4. disertè vocatur Christus *ὁ μόνος δεσπότης θεός καὶ κύριος ἡμῶν*. Non ergo sequitur: Pater est ille solus verus Deus: Ergo Filius non est ille solus verus Deus. Utrumq; enim verum esse potest, quòd & Pater & Filius etiam sit ille solus verus Deus, nempe essentia ratione: quia enim unitas non consistit in personis, sequitur, quòd sit in essentia.

Obiectio.

Responsio.

84. At obicit adversarius: *ut is, qui est missus, non potest esse ille solus verus Deus vel pater: sic vicissim ille, qui est solus verus Deus, nullo modo esse potest is, quem ille misit.* Respondeo: non est quidem ille solus verus Deus, ratione personæ, potest tamen esse ratione essentia; quomodo enim aliàs dici posset *DEUS super omnia benedictus in secula*, & verus ille Deus, si non ejusdem essentia; esset cum Deo Patre? & si hinc particula exclusiva *μόνος*, excludit filium, cur non etiam Matth. 4. v. 10. ubi inquit Christus: *soli Deo servies*, de quo tamen dicto scribit ipse Smalcus respons. ad 1 part. Smigl. cap. 2. pag. 4. *Non se ipsum exclusit Christus, cum hæc verba ex lege citaret?* undè apparet, quam frivola Photinianorum sit exceptio.

Exceptio.

85. Pergit ulterius: *In loco secundo (nempe 1. Cor. 8.) ut pater Dominus ille, per quem omnia, & nos per ipsum, esse nequit: sic nec Iesus Christus pater ille, ex quo omnia, & nos in ipsum.* Non potest quidem probari ex hoc loco, patrem non esse Dominum, quod pueriliter obicit Graevus: sed eum non esse suo modo illum & talem Dominum, de quo & quali Paulus hinc loquitur, jure probari potest. Nunquam enim Deus pater Dominus per quem omnia, scilicet aliquis alius faciat, & per quem nos ad Deum scilicet adducamur, quod utrumq; de Christo dici potest & debet, ullo modo esse potest. Hæc ille. Respondeo: nego, quòd ita pressè tantum, ut fingit advers.

Respons.

adversarius, dominium hic attribuatur Christo, ut ab eo jure
excludi possit Deus pater. Nam etsi Apostolus pro more suo
Christum hic adjungat patri, ut aliis mediatorem adjungit Deo,
& ita jure redemptionis Dominum nostrum appellet, quia nos ser-
vos peccati, morte sua in libertatem vindicavit: non tamen alias
ejus dominatus partes excludit, quas, præter mediatoris officium,
tanquam supra omnia Deus, oportet ut cum patre communes ob-
tineat. Quòd enim omne dominium, tam jure creationis,
quàm mediationis & exaltationis privilegio, in omnes res simul
etiam ei hic ascribat, docent & evincunt sequentia: per quem
omnia, nempe in principio sunt creata. Sic ipsa declarat scri-
ptura Joh. 1. v. 3. Col. 1. v. 16. Hebr. 1. v. 2. omnia per ipsum condi-
ta sunt, quæ sunt in cælo & in terra, visibilia & invisibilia, ubi de
secunda creatione seu renovatione sermo esse non potest, cum
illa ad visibilia & invisibilia se non extendat: neq; per eum omnia
sunt condita, ut per instrumentum: (nam & de patre particula
per usurpatur Rom: 11. v. 36. & 6. v. 4. Hebr: 2, v. 10.) sed ut per
coessentialem patri sapientiam & verbum. Ita enim pater per
filium omnia creavit, ut *filius etiam terram fundaverit, cæles formaverit:*
Heb. 1. v. 10. & Psal. 102. v. 26. Omnia enim filius sustentat ver-
bo suo potenti. Nec potest universalis *πάντα* astringi ad re-
demptionis opera, quia quod sequitur, *ἡ ἡμεῖς δι' αὐτοῦ, & nos*
per ipsum, non potest, nisi de redemptione nostri per ipsum facta
commodè intelligi: alioqui erit redundans hoc epitheton. Si
enim prius dixit, per Christum esse omnia redempta, quid attine-
bat repetere, *& nos per ipsum*: cum, si omnia, etiam nos intelliga-
mur per ipsum redempti. Quoniam igitur & pressè & latè dominium
hic attribuitur Christo, ab utroq; excludendus esset pater, si juxta
Photinianos, à divinitate excludendus esset Filius, quod *ἀτόμῳ*
& blasphemum.

86. 2. Objiciunt Photiniani: *Scripturam docere, quòd Chri-*
stus sit naturâ homo: ergo eum non esse naturâ Deum. Responderat Graue-
rus: utrumq; verum esse de Christo propter unionem personalem.
Sed quam calvus (inquit Smalcius) sint ista omnia, jam puto ex ijs constare,

F.

que

Obiectio.

Responsio.

Exceptio.

quæ paulò ante diximus. Nos enim dum dicimus, Christum esse naturâ hominem, ita id accipimus, quòd Christus sit vera persona humana. Hoc enim & ratio postulat & sacræ literæ testantur, nec unquam auditum fuit, eum esse verum & naturâ hominem, qui non habeat propriam subsistentiam & personam: imò monstrum hominibus is prorsus censendus est, qui homo cum nominetur, persona humana non sit. Posita verò Christi persona humana, eò quòd homo sit, parumne constat, impossibile esse, ut idem Christus sit persona Deus. Hæc ille.

Confutatio

87. Respondeo: quia ex supra dictis jam abundè constat, non simpliciter & absolutè necessarium esse, ut is, qui homo est & dicitur, propriam & naturalem suam habeat subsistentiam, nihil hinc addimus. Hoc tantùm moneo, parum piè Smalcium concludere, ideo verum esse non posse, ut is sit perfectus homo, qui propriam & naturalem non habeat subsistentiam, quia id nunquam fuit auditum. Nec enim unquam etiam auditum fuit, hominem natum fuisse ex virgine: ergone Christus ex virgine nasci non potuit? impium. Probavimus supra ex scriptura, Christum non tantùm verum esse hominem, sed & verum & naturâ Deum, & tamen non nisi unicam personam: annon igitur hinc necessario sequitur, duas naturas, divinam & humanam, in una eademq; persona subsistere, inq; ea unitas esse: atq; illarum una, propriâ carere personalitate, quæ certè vel humana erit, vel divina: divina esse non potest: erit ergo humana. Sanè usq; hodiè non fuissent excitata ingenia humana ad perferendam differentiam inter personam & individuam naturam, nisi mysterium Trinitatis & incarnationis ad hoc invitasset. Illam verò differentiam nobiscum agnoscat etiam Smalcus, & quæ roties de identitate personæ & hominis nobis objicit, facilè conciliabit.

Obiectio.
Responsio.
Exceptio.

88. 3. Scripturam testari ajunt, omnia, quæ Christus habet, ex dono habere. Responderat Grauerus, verum id esse secundum carnem assumptam, non verò divinam naturam. Sed & objectionem nostram, ait Smalcus, malè concepit Grauerus, & futilis est ad eam allata responsio. Quare vero? Nam inquit, nos non simpliciter dicimus Christum omnia habere ex dono, sed addimus patris. Verum quis ignorat hoc? At hinc putat adver-

adversarius necessario sequi, eum non esse eundem naturam Deum, qui pater est. Nego hoc, idem quidem non est, quo ad personam, potest tamen idem esse, quo ad naturam. Scriptura enim aliàs eum Dei Patris unigenitum & proprium Filium appellare non posset, nec verum & supra omnia Deum benedictum in secula.

89. Instat. Quid verò opus & quomodo possibile fuisset, ut Christus aliquid ab alia persona dono acciperet, si idem esset scilicet naturam Deum, qui est illa persona, à qua accepit? poterat enim hoc à se ipso accipere, imò non poterat non accipere, vel etiam habere, quod accepit. Respondeo: Non tantum à patre, Christus quàm homo, omnia in tempore accepit, sed ipse etiam ut naturam Deum, suæ naturæ humanæ assumptæ in unitate personæ, omnia dedit & communicavit. Donatio enim hæc, quia opus ad extra, omnibus personis divinitatis communis est, quemadmodum & aliæ operationes omnes, juxta illud Christi Joh. 5. v. 17. & 19. Omnia, quæcumq; operatur & facit pater, hæc etiam Filius pariter operatur & facit. Et quid multis, si ex sacris literis constat, Christum ejusdem essentia & naturæ esse cum Deo Patre suo, uti hæctenus etiam probavimus, certè ultrò sequitur, quòd ea, quæ Patri ratione essentia tribuuntur, Filio quoq; competant. Qui ergo prius demonstravit, eo ipso demonstravit & posterius: Nihil igitur trivola illæ Photinianorum exceptiunculæ contra nos efficere possunt.

90. Deniq; obijciunt; Christum sua opera nullibi sibi ipsi, sed Patri suo accepta referre. Responderat Grauerus: & sibi & Patri, & quidem toties, quoties se patri æqualem esse docet. Sed (ait iterum Smalcus) obiectio malè formata est non enim dicimus absolute, Christum non sibi ipsi opera sua accepta referre, sed cum additione hac expressa, nec ulli suæ divinæ naturæ. Non nescimus enim Christum sibi etiam opera sua tribuere. Hæc ille. Verum si Christus opera divina sibi ipsi ita attribuit, ut se faciat æqualem Deo, quemadmodum legimus Joh. 5. v. 19. divinæ suæ essentia, ut tribuat ea, necessum est. Nam qui Deo in operando æqualis est, etiam æqualis ipsi est in potentia: omnis enim operatio præsupponit potentiam, & nullus effectus est superior sua causa univoca: Si verò in potentia: ergò etiam in essentia: siquidem potentia divina nihil aliud est, quàm essentia divina.

Confutatio

Instantia

Solutio

Obiectio

Responsio

Exceptio

Confutatio

91. Exci-

Excipio.


91. Excipit adversarius: Christum sibi tribuere opera, & sic æqualem se esse Deo dicere, quatenus ipse ea virtute Patris facit: nec tamen divinæ in se naturæ. Respondeo: Ita Dei Patris virtute opera divina facit Christus, ut illa ipsa Dei Patris virtus ipsi etiam sit propriissima & naturalis, ut proprio & naturali Dei Patris Filio Rom. 8. v. 32. alioquin æqualis Deo dici non posset. Si itaq; ulla in parte vel secundum quid Deo æqualis est: erit ipsi quoq; in toto & simpliciter æqualis, quia deitas est *ἀμείωτος* & simplicissima.

Instantia.


Solutio.

92. Verum instat: Si Christus secundum divinam naturam opera fecisset, nunquam dicere debuisset aut potuisset, se illa ex se non facere. Respondeo: quod Christus ita locutus fuit, non significat aliquam inæqualitatem; sed potius summam & conjunctissimam operationis Patris & Filij unitatem: quia enim propter æqualitatem in operando una & eadem Patris & Filij numero sit potentia & essentia, necessum est, ideo etiam nihil facere potest Filius, quod non quoq; faciat Pater, Sed de hac æqualitate in sequenti argumento, disputatione, Deo auxiliante, secunda dicetur. Nunc hæc de primo Graueri argumento sufficiant.









B.I.G.

Farbkarte #13



M. A.
 Prima,
 R N A
 E D O
 RI JESU
 TI,
 VALENTINI
 s ministri Photiniani,
 D. ALBERTI
 e Christi, conscripsit,
 Rostochienfi
 ositas
 LEGDÆO
 CENT.
 ENTE
 BENSTADIO
 uditorio Magno.
 I
 Acad. Typ. Anno 1622,

